

1830

ARNS  
1 (1830)





D E  
C. VALERII CATULLI  
ELEGIA CALLIMACHEA  
DISSERTATIO CRITICA.

---

S C R I P S I T

D R . FRANCISCUS BRÜGGE MANN  
GYMNASII ARNSBERGENSIS COLLEGA.



---

S U S A T L  
TYPIS NASSIANIS. MDCCCXXX.



D E

C. VALERII CATULLI

ELEGIA CALLIMACHEA

DISSERTATIO CRITICA.

---

SCRIPSIT

DR. FRANCISCUS BRÜGGE MANN

GYMNASII ARNSBERGENSIS COLLEGA.



---

S U S A T L

TYPIS NASSIANIS. MDCCCXXX.



D E

C. VALERII CATULLI

ELEGIA CALLIMACHEA

DISSERTATIO CRITICA.



**C**um mirum videri debeat, quod in Catulli carmine de Coma Berenices, hoc est, eo in carmine, in quo explicando atque emendando operam multi viri doctissimi collocaverunt, plurimi ad hunc usque diem scrupuli remanserint, mihi iterum iterumque ea de re cogitanti duo imprimis apparuerunt, quibus rei tam mirae causae continerentur. Quorum unum positum haud dubie est in codicum Catulli natura atque proprietate, quorum quamvis sit numerus copiosissimus, praestantia tamen, si recte rem perpendas, eo deminuitur, quod fere omnes ad paucos, immo ad unum redeunt, qui et ipse vulneribus affectus videtur saepissime. Historiam casuum, quibus iactatus est Catulli liber, diligentissime enarravit Ferdinandus Handius (Observationum Criticarum in Catulli carmina specimen. Lipsiae 1809.), qui pag. 3. rectissime Scaligerum praeceunte observavit, ex consensu omnium, quos

hucusque cognitos habemus, codicum in locis corruptis et mutilatis demonstrari posse, unum librum fuisse fontem reliquorum omnium, qui inde a saeculo quinto decimo scripti sunt.

De repertis saeculo decimo quinto Catulli carminibus disputare copiosius, hoc loco non est propositum, praesertim cum praeclare rem tractaverit vir clarissimus atque humanissimus, saepius ille a me summa cum laude commemorandus, Naekius (*Index praelectionum in academia Boruss. Rhen. per menses aestivos a. 1827*), quem ipsum adire iubemus, si quis plura scire cupiet, — hoc vero annotandum prae omnibus censemus, optime e loco Gellii intelligi, Catulli codices iam antiquioribus temporibus corruptos Grammaticorumque obnoxios dubitationibus fuisse.

Gellii, qui Catullum commemorat, verba haec sunt: (*N. A. I. VII. 20.*) „Catullus quoque elegantissimus poetarum in hisce versibus: (*XXVII. s. seqq.*)

Minister vetuli, puer, Falerni  
Inger mi calices amariores,  
Ut lex Posthumiae iubet magistrae,  
Ebriosa acina ebriosioris

cum dicere ebrioso posset, et, quod erat usitatius, acinum in neutro genere appellare: amans tamen hiatus illius Homerici suavitatem, ebriosa dixit propter insequentis a literae concentum. Qui ebrios

autem Catullum dixisse putant aut ebriosos (nam id quoque temere scriptum invenitur), in libros scilicet corruptis de exemplaribus factos inciderunt.“ Attulit hunc locum Handius, qui pag. 20. 21 ad eos, qui postea poetas Latinos interpolaverunt, refert Senecam quendam, de quo, praeter Vossium ad Catull. c. LXVII. pag. 284. et Heynium Praef. in Tibull. pag. 28. adeundus Huschkius Praef. in Tibull. pag. XIII. seqq., cuius doctae disputationi nihil habeo quod addam. Et hunc quidem Senecam anno 1420. assignat Huschkius. Quaeritur, an etiam alii eadem aetate eodem modo in Catullo versati sint. Sequenti aetate qui Catullum ediderunt, multi quidem sunt, si numerum species, et longe plures doctrina pariter atque ingenii acumine insignes, ex quibus Achillem Statium prae caeteris nominamus, quippe qui praecclare docuerit, qua ratione tractandus sit poetae liber, sed qui post eum vixerunt, ideo vituperandi quam maxime sunt, quod omnia concessa sibi putaverunt, saepe nulla ratione librorum manu scriptorum habita, quos inspicere et poterant et debebant. Timidus hoc dico, cum tanta sint virorum nomina. A libris Achillis Statii non raro recesserunt Josephus Scaliger et Isaacus Vossius, hic doctrinæ magis ostentandæ, quam veteris scripturae restituendæ studiosus. Scaligero ut non ubique confidamus, iam illud efficit, quod scribit ad Puteanum, se ne integrum

quidem mensem illis tribus poetis Catullo, Tibullo, Propertio recensendis impendisse. Vossius qualem inierit Catulli carminum tractandorum viam, sive scripturam sive commentarium spectes, indicavit Silligius: De C. Val. Catulli Carm. epist. crit. pag. 3. et Praef. edit. Catull. pag. XV. Excerpsit scilicet Vossius e variis codicibus scripturas, ita vero excerptis, ut recte de fide eius multi dubitaverint. Praeterea cum bene perspexisset Scaliger, esse in Catullo ἀρχαῖνα nonnulla, Vossius hic illic non solum ἀρχαῖνα, sed prorsus dura, insolita et ab elegantia Catulli aliena obtrusit poetae elegantissimo. Nostra actate qui Catullum typis excudi curarunt, eximia laude digni afferendi sunt Doeringius, Silligius atque Lachmannus, cum haud dubie longe plurima melius, quam priores, et scripserint et explicuerint; deinde optime de poeta meruerunt Laurentius Santenius, Handius et qui alii obiter tractavere locos Catulli; in nostro carmine unus, sed immensa vir eruditione subtilique conspicuus ingenio, Valckenarius data opera elaboravit: a quo si non illud effectum esse, quod aliquis exspectet, ut totum integratati suae restitutum expolitumque habeamus carmen, dixero, non nimis audax videbor iis, qui ipsi Comam Berenices paullo pertractaverint accuratius et passim infra ea, qua decet, modestia impugnaturus sum Valckenarium. Alterum, quamvis sit res gravissima, neque ad omnia

Catulli scripta et ne ad ea quidem revocandum est, quibus proprio Marte et argumentum invenit et formam impertivit. Hoc quid sit, optime, opinor, intelligunt, qui cognitum habent, uti Propertius in universum Callimacheae poesis amantissimus multa cum ad carminum oeconomiam, tum maxime ad dicendi genus spectantia a Graecis mutuatus, ita Catullum eiusdem Callimachi carminum amore tam mire captum fuisse, ut integrum Berenices Comam in Latinam orationem converteret. Apud Propertium quale momentum haberit Alexandrinorum studium atque amor, optime nos edocuit Huschkius in epistola illa critica, quam ad Laurentium van Santen scripsit; in poetae nostri carminibus quid Graecis scriptoribus tribuendum sit, nemo ad nostram aetatem accurate commonstravit. Recte quidem Silligius Praefat. edit. Catulli pag. XXVI. seqq. observavit, viros doctos contendisse magis, quam probasse, Catullum Graecos poetas imitatum fuisse. Mihi hoc ante omnia quaerendum videtur, Catullus num composuerit carmina, quae Graecum quodammodo spirent atque ad Graecam linguam ita sint attemperata, ut a vulgari loquendi genere prorsus recedant et non satis Latina videantur, quamvis omnino bene se habeant et ab ipsa scriptoris manu profecta sint. In universum negandum mihi hoc esse videtur, cum equidem persuasum mihi habeam, omnes Catulli

Hendecasyllabos ita Romanis proprios esse, ut cogitare  
nil possim, quod propius ad illorum et sentiendi et  
cogitandi naturam accedat; sunt illi ex intimo quasi  
poetae Latini animo profecti nullaque in iis deprehendi  
poterunt vestigia poesis Alexandrinae, quam bene  
descripsit Heynus singulari libello: de Genio Saeculi  
Ptolemaeorum, Opusc. Academ. Vol. I.

Jam vero cum Catullus ad Graecorum poetarum  
morem modumque composuisse sese censendus sit,  
quod jam ex docti appellatione probabile fit (Tibull.  
Eleg. I. III. 6. 41. Ovid. Amor. I. III. 9. 62. Martial.  
Epigr. I. VIII. 73. 8. Cfr. Fabricii B. L. ed. Ernest.  
t. I. pag. 88. 89.): quid illud est, in quo expressum  
hoc esse dicendum erit? Agitur de Coma Berenices  
et de illo carmine, quod e Sapphus sibi libro trac-  
tandum elegit Catullus. Ibi igitur concedendum haud  
dubie Silligio, poetam nostrum habere singulari non-  
nulla significatione verba et Graeca quidem magis,  
quam Latina, uti eum saepius propria Graecis con-  
struendi vocabula ratione: hoc vero non debebat tam-  
quam imitandi genus proponere Silligius, neque primo  
loco afferre, quod integra carmina e Graecis Latina  
fecerit poeta; id enim non est imitari. Catullus in  
his duobus carminibus Graecorum more et cogitat et  
scribit, immo Sapphus et Callimachi sensus affectusque  
Latinis vocibus exprimit, ut saepe Graecum non

Latinum poetam audire tibi videaris: atque obtinet suspicio, hac de causa neque librarios a Catullo scripta percepisse omnia, et nos melius percepturos sensum singulis locis esse, si Graeca ubique ad manum essent exemplaria. Certe sunt aliquot loci, multum interpretum atque editorum dubitationibus vexati: qui loci bene se habere videntur, quum accurate expressos esse ex locis Graecis, orationemque Latinam ad naturam orationis Graecae, Callimacheae, accommodataim esse reputabimus. Hic commemorandus est libellus, quem nuperrime mecum communicavit Nackius, qui, cum equidem haec fere, quae disputavi, exposuissem, eandem in rem eodemque consilio nonnulla disseruisse Fussium significavit. Scripsit Fussius ad J. B. Lycocriticum epistolam, in qua loci Metamorphoseon et Fastorum Ovidii, nec non alii nonnulli sive defenduntur et illustrantur, sive emendantur, Chr. Conr. Sprengel emendationes exempli causa refutantur. (Leodii 1823. 8.) Insunt inde a pag. 48. notae in Catulli carmen de Coma Berenices, maximam partem tam bene et accurate scriptae, ut saepius eas afferendas esse existimaverimus. Disputat scriptor ab initio hunc in modum: „Deperditum Callimachi de coma Berenices carmen a Catullo fide, et, quantum fieri potuit, ad verbum esse expressum, utramque linguam et dictionem poeticam callens, quamvis comparacione

cum archetypo prorsus negata, haud obscure intelligit. Arguant hoc, quae passim reperis graeca adcurate si non anxie sequentis indicia, conantis simillimum non sententiis magis quam dictione verbisque exhibere. Hinc mirum non est, si non modo facilitas quandoque et numerorum venustas desint, sed binis locis ea sit constructionis insolentia, obscuritas, quae commentatores, non animadversa difficultatis causa, supervacaneis conjecturis mirifice vexaverit.“ Jam sequuntur versus, quos in disquisitionem vocavit Fussius, nobis infra examinandi accuratius. Ex his, quac disputavimus, facile intelligitur, quid respondendum sit iis, qui quaestionem posuerunt, utrum ad verbum omnia expisserit Catullus, an liberius rem suam egerit. Fragmenta Callimachea si quis inspiciet, quid dicat, haerebit fortasse, cum alia a poeta conversa bene conspirent cum Graecis, alia tam longe distent ab archetypō, magis ut imitatio videatur esse, quam conversio. Dixerit etiam quispiam, Catullum unum eundemque locum bis tractasse, ut priori scriptura sua non contentus aliam postea inierit convertendi viam et scripturam ad nos utramque pervenisse. Haberemus tum carmen secundis curis elaboratum sive διεσκενασμένον, si quidem recte de aliis quoque, atque de dramatis, generibus verbum διασκενή usurpari potest, quod prorsus statuendum non esse docuit vir pie mihi colendus C. F. Heinrichius

in Diatr. de diasceuastis Homericis pag. 20. 21. Fuit haec olim Martyni — Lagunae opinio, esse hic illic in carminibus Catulli veterem, et ab ipso poeta profectam διττογαπταρ. Ego nullum certum exemplum habeo. Rectissime omnino Fussius carmen nostrum e Graecis ad verbum expressum observavit, sed „quantum id fieri potuit.“ Convertit Catullus, neque tamen hac lege adstringi se passus est, ut pro singulis vocabulis Graecis Latina poneret. Hac igitur observatione fretus temperantiaeque etiam aliis de causis studiosus, timidum me, vel, ut nonnulli iudicabunt, superstitosum praestare malui, quam audacem. Valckenario licebat multa audere: qui vir semper nos docet, quod utile sit, etiam ubi audacem sese praestat ita, ut ne ipsi quidem satis persuasum fuisse illud, quod proponit, dicas. Mihi, si multa peccaverim, excusationi erit quodammodo librorum auctoritas, editionum maxime antiquarum, a quibus quam posset fieri minime receundum putavi. Restat, ut describamus subsidia, quibus uti nobis licuit.

---

1. Catulli Veronensis Epigrammaton libellus. Albi Tibulli eq. Ro. Poetae. Cl. Libri (IV.) Propertii Aurelii nautae poetae clarissimi Elegia 4 Libri (IV.) P. Papinii Statii Surculi Silvarum Libri (V.) — Ad calcem Propertii legitur: Propertii Aurelii naute poetae finis.

1475. Catulli. Tibulli. Propertii. et. liber Silvar, Statii papinii ī isto volumine cōtinet. Et ī pressi sūt opere et impensa Johannis de colonia: et Johannis manthē de ghersem qui una Veneciis fideliter Vivunt. fol.

Cfr. Huschk. Praef. ad Tibull. pag. 46 — 48.

Exemplum huius editionis splendidum, literis omnium carminum initialibus deauratis ornatūm optime que servatum exstat in bibliotheca Universitatis Frid. Wilhelm. Rhen.

2. Catulli. Tibulli. Propertii Carmina et Statii Sylvae. Ad calcem Statii: P. papinii Statii Sylvarum liber Ultimus. Explicit. MCCCCLXXXI. Actum Vincentiae per magistrum Jouan-nem renensem et Dionysium Berthochum. Sequitur tribus foliis impressum: carmen Joannis Calphurnii poetae clarissimi, ad Joanne Inderbachiu Pontifice Tridetinu de laudibus eius et de interitu Beati Simoni infantis a Judeis mactati. fol.

Cfr. Heyn, Prolegomena ad Tibull. pag. XXXIV.

Huschk. Praef. ad Tibull. pag. 54 — 57.

Huius quoque editionis, uti praecedentis, exemplum inspicere nobis contigit in bibliotheca Univ. Frid. Wilhelm. Rhen. Scripturas eas subiecimus infra, quae non consentiunt cum editione Veneta a. 1475. Venetam illam, quam emendasse se profitetur Calphurnius, esse Venetam principem a. 1472. probavit Huschkus. l. l.

3. Catullus, Tibullus, Propertius. Venetiis in Aedibus Aldi. Mense Januario. MDII. 8.

Cfr. Huschk. l. l. pag. 67 — 70.

4. Catullus et in eum Commentarius M. Ant. Murati. Venetiis apud Paul. Manutium. 1558. 8.

Cfr. Sillig. Praef. ad Catull. pag. XXXVI. seqq.

5. Catullus cum commentario Achillis Statii Lusitani. Venetiis. In Aedibus Manutianis. 1566. 8.

6. Catulli Tibulli, Properti nova editio. Josephus Scaliger, Jul. Caesaris F. recensuit. Eiusdem in eosdem castigationum liber. Ad Cl. Puteanum Consiliorium regium in suprema curia Parisiensi. — Antverpiæ, apud Aegidium Rodaeum. MDLXXXII. 8.

Cfr. Huschk. l. l. p. 77.

7. Catullus, Tibullus, Propertius, iampridem viri docti iudicio castigati et nunc denuo recogniti a variis lectionibus et notis illustrati a Jano Dousa filio. Accessit pervigilium Veneris. Lugd. Batav. Ex officina Plantiniana, 1592. 12. Sequitur pag. 262. alter titulus: Carmina Graeca, quae aut e latino Catulli expressa sunt, aut a Catullo ipso Latine translata. Item Josephi Scaligeri et Henrici Stephani e Tibullo et Propertio versiones Graecae. In eodem libro insunt: Jani Dousae Filii in Catullum, Tibullum, Propertium coniectanea et notae. In quibus et aliorum scriptorum loci varie explicantur aut corriguntur. Item

Jani Dousae Patris in Propertium Paralipomena.  
Lugd. Batav. 1592.

Cfr. Nic. Heins. ad Virg. Aen. I. VII. 110., qui emendatissimam omnium hanc editionem esse censuit. Accurate de hoc libro scripsit Huschkius l. l. pag. 79.

8. Jo. Passeratii Commentarii in Cat. Tib. Prop. — Paris. apud Cl. Morellum. fol. 1608.

9. Catullus, Tibullus, Propertius et quae sub Galli nomine circumferuntur, cum selectis variorum commentariis, accurante Simone Abbes Gabbema, Trai. ad Rhen. 1659. 8.

Cfr. Doering. et Sillig. Praeff. ad Catull.

10. Catullus, Tibullus et Propertius cum integris commentariis Josephi Scaligeri, Achillis Statii, Maretii, aliorum — ex Musaeo Joannis Georgii Graevii. Traiecti ad Rhen. ex officina Rudolphi a Zyll. a. 1680. 8.

11. C. Valerius Catullus et in eum Is. Vossii observationes. Londini. 1684. 4.

12. C. V. Cutulli Carmina — edidit Frid. Guil. Doering. Lipsiae 1788. 8. 2 tom.

13. C. V. Catulli Carmina — edidit C. Julius Sillig. Gottingae. 1823. 8.

14. Q. Valerii Catulli Veronensis liber. Ex recensione Caroli Lachmanni. Berol. 1829. 8.

Nihil praefatus est editor doctissimus, quod dolendum arbitramur, quippe qui non satis compertum habemus, quales sint illi codices, quos secutus est Lachmannus. Licet enim pag. 1. observaverit: „*Codices D. et L.* (h. e. Caroli Dati et Laur. Santenii), cum quorum alterutro ceteri non interpolati ubique consentiunt, hac editione totos exhibemus; quas emendationes nullo auctore indicato recepimus, eae Italis saeculi XV. debentur“ — haec tamen ita se habere videntur, ut argumentis copiosius probari debeant. Quinam sunt codices ceteri non interpolati? Quos dicit Italos saeculi decimi quinti? Utinam edocuisse nos de his omnibus Vir Clarissimus! Plurimum haud dubie operae collocavit Lachmannus in edendis Catulli, Tibulli, Propertii carminibus et, quantum equidem vidi, optime de elegia Callimachea meruit; attamen sunt loci, de quibus ego aliter sentio.

15. Callimachi Elegiarum fragmenta, cum elegia Catulli Callimachea, collecta atque illustrata a Ludovico-Casparo Valckenaer. Edidit, praefatione atque indicibus instruxit Joannes Luzac. — Lugd. Batav. in officina Luchtmanniana. MDCCIC. 8.

16. Callimachi fragmenta, collecta a R. Bentleio et Notae ad Elegiam Catulli de Coma Berenices. pag. 581. 582 et 583. edit. Ernest. Dignae tanto viro observations!

17. J. D. Fuſſ ad J. B. Lycocriticum epistola.  
Cfr. supra pag. 9.
18. Jo. Casp. Orellii Eclogae poetarum Latino-  
rum. Turici. 8. Invenitur in hoc libro: Elegia ad  
Hortalum cum Coma Berenices, et: excursus historicus  
pag. 257 — 260.
19. Dell' cavallo alato d'Arsinoe; lettere filologiche  
di V. Monti, professor emerito e membro dell' Isti-  
tuto, 1804. Milano. 8. Debemus notitiam huius libelli  
Viro Cl. A. W. a Schlegel, qui de eo eleganter,  
uti solet, dixit in Ephemerid. Jenens. Num. 21. Januar.  
24. — a. 1806.
- Convertit nuperrime Catulli carmina Conr. Schwen-  
ckius (Francof. ad M. 1829). De nostro carmine,  
quod a W. C. Webero germanice expressum recepit,  
cfr. editoris Praefat. pag. IV.

## ELEGIA

CATULLI CALLIMACHEA ACCURATE DESCRIPTA EX EDITIONE VENETA 1475.  
ACCEDUNT I. CALPHURNII SCRIPTURAE DISCREPANTES EX EIUSDEM EDITIONE,  
VINCENTINA 1481, ANNOTATAE.

Omnia qui magni despexit lumina mundi:  
 Qui stellarum ortus comperit: atq; obitus,  
 Flammeus: ut rapidi solis obscuretur:  
 Ut cedant certis sydera temporibus  
 Ut triuim furtim sublimia saxa relegans                        5.  
 Dulcis amor gyro deuor et aero:  
 Idem me ille conon caelesti munere uidit  
 Ebore niteio uertice caesariem:

1. dispexit 2. comperit atque obitus: 3. flammeus  
 ut 5. sublatmia 6. deuocet giro 7. u i d i 8. Eberonicco-  
 caesariem (omissa interpunctione) 9. quam.

Fulgentem dare q̄ multis illa dearum  
 Leuia pretendens brachia pollicita est: 10.  
 Quare ex tempestate nouo auctus hymenaeo  
 Vastum iter ad fines iuuerat assyrios  
 Dulcia nocturnae portans uestigia rixae  
 Quam de uirgineis gesserat exuuiis  
 Est ne nouis nuptis odio uenus: atq; parentum 15.  
 Frustantur falsis gaudia lachrymulis  
 Ubertim thalami: quas intra lumina fundunt  
 Non ita me diui uera gemunt iuerint:  
 Id mea me multis docuit regina quaerelis  
 Inuisente nouo praelia torua uiro: 20.  
 Et tu non orbum luxti deserta cubile  
 Sed fratri cari flebile dissidium:  
 Quom penitus moestas exedit cura medullas  
 Ut tibi nunc toto pectore sollicitet  
 Sensibus ereptis mens excidit: atq; ego certe 25.  
 Cognoram et parua uirgine magnanimam:

---

10. pollicita est 12. Uastatur 15. uenus atque 16.  
 frustrantur 17. thalami-limina 18. iuuerint 19. multis  
 21. lusti 22. desidium 24. tunc - sollicite.

An ne bonum oblita es facinus q; regium adeptus  
 Coniugium: quod non fortior aut sit alis:  
 Sed tum moesta uirum mittens: quae uerba locuta es  
 Juppiter ut tristi lumina saepe manu: 30.  
 Quis te mutavit tantus deus: an quod amantes:  
 Non longe a caro corpore abesse volunt:  
 Atq; ibi pro cunctis: pro dulci coniuge diuis  
 Non sine taurino sanguine pollicita es:  
 Si redditum audisset is aut in tempore longo 35.  
 Captam' asiam aegypti finibus addiderat:  
 Quis ego pro factis caelesti redditia caetu  
 Pristica uota nouo munere dissoluo?  
 Inuita o regina tuo de uertice cessi  
 Inuita adiuro teq; tuumq; caput: 40.  
 Digna ferat: quod si quis inaniter adiuraret:  
 Sed qui se ferro postulet esse parem:  
 Ille quoq; euersus mons est quem maxima in oris  
 Progenies phytiae clara superuehitur:

---

26. a parua 27. adepta es 28. auxit aus 30. madent  
 34. policita es 35. tetulisset 36. egypti — adiderat  
 37. redita 38. dissoluo 41. ferat quod 44. phtyae.

Cum medi prorupere nouum mare : cumq; iuuentus 45.  
 Per medium classi barbara nauti athon :  
 Quid facient crines ? cum ferro talia cedant  
 Juppiter ut caelitum omne genus pereat :  
 Et qui principio sub terra quaerere uenas : 50.  
 Institit : ac ferri frangere duritiem :  
 Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores  
 Lugebant : cum se memnonis : aethiopis :  
 Unigena impellens nutantibus aera pennis :  
 Obtutit arsinoes claridos ales equos :  
 Isq; per aethereas me tollens aduolat umbras : 55.  
 Et ueneris casto collocat in gremio :  
 Ipsa suum cyphiritis eo famulumq; legarat  
 Gratia canopicis incola littoribus :  
 Ni dii ibi : uario ne solum sub limite caeli  
 Ex ariadneis aurea temporibus : 60.  
 Fixa corona foret : sed nos quoq; fulgeremus :  
 Deuotae flavi verticis exuuiae :

---

45. moedi — nouum : 48. telorum 52. lugebant cum  
 se memnonis : : 54. arsinoes cloridos ales equis 55. au-  
 ras 57. Zephyritis 58. grata canopeis 59. Scilicet  
 ut uario ne solum in limite caeli.

- Viridulum a fluctu cedentem ad templo dianae  
 Sydus in antiquis diua nouum posuit:  
 Virginis: et seu contigens nanq; leonis 65.  
 Lumina calisto iusta lycaonia.  
 Vertor in occasum: tardum dux ante boetem  
 Qui uix sero alto mergitur oceano:  
 Sed quanq; me nocte premunt uestigia diuum  
 Lux aut caue thesei restitue: 70.  
 Pace tua fari hic liceat ranusia virgo  
 Nanq; ego non ullo uera timore tegam:  
 Nec si me infestis discerpent sydera dictis  
 Condita qui uere pectoris euolue  
 Non his tam laetor rebus q; me affore semper 75.  
 Abfore me a dominae uertice discrutiior:  
 Quicum ego dum virgo quondam fuit oibus expers  
 Unguentis: una milia multa bibi:  
 Nunc uos optato quem iunxit lumine teda  
 Non post unanimos corpora coniugibus: 80.

63. dione 65. virginis et 66. licaonia 67. bootem 68.  
 oceano 69. praemunt 70. Lucae autem canae resti-  
 tuor thetidi 74. quin - enoluam 77. qui cum 78. ungu-  
 entis una 79. quas iunxit 80. unanimis uincula.

- Tradite nudantes detecta ueste papillas  
 Quam incunda mihi munera libet onyx  
 Vester onyx casto petitis quae iura cubili  
 Sed quae se impuro dedit adulterio :  
 Illius mala dona leuis bibat irrita puluis : 85.  
 Nanq; ego ab indignis praemia nulla peto :  
 Sed magis o nuptiae semper concordia uestras  
 Semper amor sedes incolat assiduus :  
 Tu uero regina tuens cum sydera diuam  
 Placabis festis numinibus uenerem : 90.  
 Sanguinis expertem uestris non esse tuum me :  
 Sed potius largis effice muneribus :  
 Sydera cur iterent uter coma regia fiam  
 Proximus hydrochoi fulgeret oarion :

Graece interpretati sunt Catulli de Coma Berenices carmen Iosepus Scaliger atque Antonius Maria Salivinius. Quorum hic minus feliciter rem gessit, et facilis ad eius versionem patet aditus, cum non

---

81. reiecta 84. in puro - dedat 85. aura leuis et dona irrita puluis 90. luminibus 91. tuis non esse tui me.

solum in editione Callimachi Ernestiana t. I. pag. 610, sed apud Doeringium etiam legatur, edit. Catulli t. II. pag. 153. Scaligeri versus graeci, longe plurimi eleganter scripti atque accurate, cum carminum viri summi exemplaria non sint in manibus omnium, aptum hic locum invenient.

Josephi Scaligeri, Jul. Caes. F. Poemata omnia. — Ex officina Plantiniana Raphelengii. Lugd. Batav. M.D.CXV. 12. pag. 86.

Annotatum est in hac editione, oblata haec Catulliana esse M. Antonio Mureto a. 1562, mense Septembris Lutetiae.

Πάντας ἀπειρεσίης δεδοκημένος ἀστέρας ἀθρητος,  
 ος φάσιας τειχέων φρύσσαστο καὶ δυσίας,  
 Ηἱ σέλας αἰγλάεντος ἀμέρδεται ἀελίοιο,  
 Ηἱ χρόνῳ ἐγκύλιος τείχεα θεσμὸς ἄγετ,  
 Μήνην τ' οὐρανόθεν Λάτιουν κατὰ παιπαλέντα  
 Αὔθρη ἀποπλάζων ἡμερος ὥρσε γάμουν.  
 Οὗτος ἔμ' οὐρανῆσιν ἀπόρροθι μαρμαροῦγῆσι  
 Τὸν Βερενικείου κράτος ἀπο πλόκαμον  
 Θεσπεσίως φλεγέθοντα Κόρων ἵθεν, δν πόκα τῆνα  
 Πῆχε' ὁρεξαμένα πᾶσ' ἀνέθηκε θεοῖς.

Ἀμος ὄντας νεαροῦσιν ἀγαλλόμενος ὑμεναιόις  
 Ωίχετο πορθείων τέρμονας Ἀσσυρίους,  
 Έννυχίοι φέρων ἐπιμάρτυρα γυμνάδος ἔκη  
 Γαθόσνος, σύλων δύσια παρθενικῶν.  
 Άρα γε πρωτογάμοις Κύροις ἔχθεται; ἀρα τοιήνων  
 Χάριμ' ἐλεφαίρονται σκηπτόμενοι γόνοις;  
 Τούς δα χέοντος ἀδινῶς θαλάμων ὑπὸ δακρυόωσαν  
 Παστάδας; οὐ μὰ Θεοὺς δακρυχέονσ' ἔτεσιν.  
 Τοῦτο ἔμ' ἀπροφάτοις δέδαιν Βασίλεια γόνοισι  
 Φύλοπιν ἀνδρὸς ἔκας θοῦριν ἐποιχομένου.  
 Οὐ δὲ σὺ χηρόσυνον δλοφύρωσ λέκτρον ἔρημος,  
 Άλλὰ κασιγνήτου μέρμερον ἀξυγίην.  
 Άμος σ' ἐνδόμυχοι μελεδῶναι μυελὸν ἥσθον.  
 "Ως τοι πεπταώς πάντοθεν ἀμφασίᾳ  
 Θυμὸς ἄπιας στήθεσφιν ἀκήριος ὥχετο! καὶ μὰν  
 Ήδεά σ' ἐκ βαιᾶς ὡς θρασυκάρδιος ἦσ.  
 Ή εξελάθον μέγα ἔργον, δτ' εἰ βασιλῆος ἄκοπτις,  
 Τόρρα τοι οὐκ ἄν εἴληρς ἄλλη ἀρειοτέρη;  
 Άγδρα δὲ νοσφίσσασ' ἀκαχημένα οἴα ἔειπας;  
 "Ω πόποι ὡς παλάμαις φάε' δμορξαμένα;  
 Τίς δὲ τόσος δαιμῶν μετεπλάσατό σ'; ἢ δτ' ἔρωντες  
 Οὐ δὲ φίλας πεφαλᾶς ζῆν ἐθέλουσι δίχα;

Οῖα φίλον δέξασα θεοῖς ὑπὲρ μνδρὸς ὑπέστας,  
 Ταυρείων θνέων οὐκ ἄνις εὐχομένα,  
 Ἡν ἄψορόν τηνος ἵποι<sup>τ</sup>, οὐ δὴν μετέπειτα  
 Ληῆς Αἰγύπτῳ πρόσθετος ἢν Ἀσίη;  
 Τοῦνεκα εἰδώλοις ἐναριθμίος οὐδανίοισι  
 Τῶν πρὸ τοῦ εὐχωλᾶν πρόσφατ<sup>τ</sup> ἅποιγα φέρω.  
 Τμετέρας κορυφᾶς ἀέκων δέσποινα λιάσθην,  
 Νοσφίσθην ἀέκων, ναὶ μά σε, σόν τε κάρη.  
 Ἄξια τίνειεν δ<sup>ο</sup> ὃς κεν ἐπίορκον ὅμόσσαι.  
 Ἰσοφαρίζοι τίς δ<sup>ο</sup> ἀντιβίην χάλνβι;  
 Τῷ γάρ ὅρος καὶ τῆν διήραπε, τόρρος<sup>τ</sup> ἐν ὅροισιν  
 Οψίγονοι Φθίης κέλσαν ἐπιπλόμενοι,  
 Οκνα νέον Μῆδοι πόρον ἄννον, ὡς νεολαίη  
 Βάρβαρος εἰρεσίη πλώσατο μέσσον<sup>τ</sup> Αἴθω.  
 Τῇ πλόκαμοι δέξειαν, ἐπει τάδε εἴκαθε χαλκῷ;  
 Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος,  
 Καὶ μάλα χαλκὸν δ γῆθεν ἀπαντέλλοντα λαχήνας,  
 Ξ<sup>ο</sup> ω πρότερος τῆξας ἀκάματον χάλνβα.  
 Άι δέ κόμαι νεόκαρτοι ἐμὸν πάρος οἶτον ἀδελφει<sup>τ</sup>  
 Θρήνεον, δπημος Μέμνονος Αἰθίοπος  
 Ήρα μουνογενῆς πτηνὸς ταρσοῖσιν ἐρέσσων  
 Ἰππος ὕπηντίασεν Χλωρίδος Αρσινόης,

<sup>“</sup>Οστ<sup>ρ</sup> ἀνερειψάμενός με διηέριος πεπότατο,

Καὶ σεμνᾶς κόλποις Κύπριδος ἐγκάθετο.

Καὶ ὅτα πάροιθεν κεῖσε, διάπτορον ὃν Ζεφυρῖτις

<sup>Ὄρσε</sup> Κανωπείων ἐνναέτις κροκαλῶν,

<sup>“</sup>Οφρα μόνον πνιγέντος ἐν αἰθέρος ὀτραπιτοῖσιν,

Ἐξ Ἀριαδνείων χρυσοφαὲς κροτάφων

Μὴ στέφος ἀστράψαι, ἡμεῖς δέ τε φανθείμεν

Ξανθᾶς ἐκ πορυφᾶς σῆλα ταυτολόκαμα.

<sup>“</sup>Ωστε μόλοντα θεά δακρυοσταγῆ εἰς τὸ θεῶν δῶ

Εἶσατ<sup>ρ</sup> ἐν ἀρχαίοις ὄπλοτερόν με τέρας.

Παρθενικᾶς δεινοῦ τε δοκεύων σῆμα Λέοντος

Τείτονα Καλλιστοῦ φῶτα Λυκαονίη

Αινεῦμαι δύσσινδε παροίτερος αἴψι Βοώτεω,

<sup>“</sup>Ος μόγις δψὲ βαθεῖ κλύζεται ωκεανῷ.

Εἰ καὶ δλαν τὰν νύκτα θεῶν ὑπὸ ποσὶν φορεῦμαι,

<sup>“</sup>Ἄψ δ<sup>ρ</sup> ὑπὸ Τηθὺν ἔδυν, αὖθι παναμέριος,

<sup>“</sup>Πλαδι παρθενικὰ Φαμνουσίας<sup>?</sup> οὐκεν ἐγώνη

<sup>“</sup>Οκνῷ κλέπτοιμι νητρεκὲς οὐδὲν ἔπος,

Κ τὴν μὲν ἀστρων νείκεσσιν δμάγυρις ἐνδατέοιτο,

Μὴ ἐτεῶν ἔξω κρυπτὰ φέρειν πραπίδων.)

Οὐ τόσον τούσδεσσιν ἀρέσκομαι, δσσον ἀνάσσης

Ἐσσόμενος πόρρω κράστος ἀσχαλόω,

*Tā διμοῦ, ὅφρος ἀπαλὰ ιωδη πέλε, πᾶσι μάραισι*

*Δευόμενος θαμὰ δὴ μυρία πόλλ' ἔπιον.*

*Τμεῖς δ', ἀσπασίως τὰς ἀνδράσιν ἐν φιλότητι*

*Ἐξενξεν τοῖς πρόσθ' ἀλλοτρίοισιν ἔρως,*

*Σπύσασθ' ἐκ μαστοὺς ἑαυτῷ σφριγόντες χιτώνων,*

*Ως μοι ἄφαρ προφέροι φίλτατ' ἀπάργματ' ὄνυξ,*

*Τμὸς ὄνυξ, ταῖς λέκτρον ἀκήρατος εὐαδε θεσμός.*

*Α δὲ βεβηλογάμοις εἴξατο μαχλοσύναις,*

*Tāς κόνις αὐταλέη μετμώλια δῶρα πίοιτο.*

*Οὐ γὰρ δωτίναν πρόττομ' ἀσελγοχαρεῖς.*

*Τμετέροις πνεύσειαν ἀεὶ μεγάραισιν ἔρωτες,*

*Νύμφαι ἔννεχέες τ' αἰὲν διμοφροσύναι.*

*Ούκα δ', ἄνασσα, χοροὺς παπταινομένα σελάεντας,*

*Ιροπόλοις ἀρέσεις ἄμασι Κυπρογενῆ,*

*Ορφανικὸν θυέων, λιτανεύω, μήτι μ' ἐάσσῃς,*

*Ἄσπετα δ' αὖ μᾶλλον δῶρα χάρισσαι ἐμοὶ.*

*Χαίροιτ ἄστρα, πλόκος βασιλήϊος εἴθε γενοίμαν,*

*Ἐγγέθεν Τύροχόου λαμπέτω Θαρίων.*

Scripsit Catullus, qui acerbum ex fratri morte  
dolorem acceperat, Elegiam Callimacheam ad Ortalum,  
quem hisce versibus alloquitur:

Sed tamen in tantis moeroribus, Ortale, mitto  
 Haec expressa tibi carmina Battia dae;  
 Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis  
 Effluxisse meo forte putas animo.

Praefandi igitur causa praemisit haec poeta, qui expressisse se confitetur Battia dae carmina i. e. Callimachi a Battio; patriae urbis in Africa conditore (cfr. Catull. c. VII. 6. Pindar. Pyth. V. 93. Boeckh. Explicatt. pag. 292.), sive ab ipso patre, quod Valckenarius e Suida docet, sic dicti. Omnio neglexit hanc Valck. notitiam Groddeckius: Initia hist. Graec. litter. t. II. pag. 12. Miror, Valckenarium l. l. pag. 52. receperisse scripturam „experta tibi“ quam Is. Vossius in libris plerisque esse ait: mihi multo facilius atque aptius expressa videtur, quod aliis in libris est. Proprium est apud Latinos de convertendis Graecis vocabulum exprimere. Cfr. Cic. de Fin. I. 4. „quum iidem fabellas latinas ad verbum de Graecis expressas non inviti legant.“ Terent. Adelph. prolog. 11. ibique Ruhnk. Dictat. pag. 180. edit. Schopen. — Cic. de Re Publ. pag. 44. edit. C. F. Heinrich. „Tum fit illud, quod apud Platонem est luculente dictum, si modo id exprimere Latine potuero; nam difficile factu est: sed conabor tamen.“ Tractavit hunc locum editor doctissimus in commentario critico pag. 204 — 207, praeclare ille disputans de vi atque

natura formarum in ro et rim desinentium. Et hic quidem verbi exprimere usus non potuit latere Valckenarium: practulit experta, nisi fallor, tamquam magis docte dictum. Illud recte haud dubie statuit Valckenarius, Catullum ad Ortalum hoc unicum misisse carmen, quod exstat, de Coma Berenices, ut carmina apud Catullum significant versus: quam in rem apte laudari poterit Ovidius Epist. XV. 5. „Forsitan et quare mea sint alterna requiris carmina,“ quem recte explicat Gesnerus s. v. carmen, cum addit: „duo versuum genera, quae invicem et alternis sibi succedunt. Sic vocantur elegi.“

Veterum de Coma Berenices testimonia Valckenarius congesit illustravitque suo more, hoc est, doctissime. Memorabilis prae aliis testis est Eratosthenes in Cataster. Leonis cap. XII: δρῶνται ὑπὲρ αὐτὸν (Leonem) ἐν τριγώνῳ κατὰ τὴν κέρκον ἀμανδοὶ ἐπτά, (ἀστέρες) οἱ καλεῖνται πλόκαμοι Βερενίκης Εὐεργέτιδος. Emendavit hunc locum Valckenarius, pro numero pluri- rali rescribens singularem: πλόκαμος, quod non obser- vatum est a Matthiae in editione Arati, cui subiecit Erastothenis Catasterismos. Πλόκαμος enim, ut vo- cabuli origo luculente demonstrat, non significat ca- pillum, sed crines in unum quoddam plexos, ut exo- riatur cincinnus; πλόκαμοι igitur forent plures cin-

cinni, cum tamen de uno tantum cincinno Berenices  
inter sidera relato constet. Cfr. carminis nostri v. 50 :

Abiunctae paulo ante comae mea fota sorores  
Lugebant —

et quos alios testes Valckenarius laudat, Aehilles Ta-  
tius, Proclus, Hesychius, Scholiastes Arati, omnes  
*πλόκαμον* dicunt. \*) —

Conon Mathematicus, qui Callimachi fuit aequalis  
et haud dubie Museo Alexandrino adscriptus, notus est  
ex Virgil. Eclog. III. 40, ubi cfr. Probus. Achilles  
Statius ex Arsenii loco, de quo adeundus est Villoiso-  
nus in Anecd. Gr. t. II. pag. 4. Chr. Fr. Matthaei in  
Notitia codd. mss. Gr. bibl. Mosq. 1776. f. pag. 14.  
seqq. — apparere putat, inventum illud Cononis fuisse,  
quod Callimachus versibus suis ornarit. Consentit  
scholiastes Arati: *Κόνων δὲ ὁ μαθηματικός, Πτολε-  
μαῖος χαριζόμενος, Βερενίκης πλόκαμον ἐξ αὐτοῦ  
χαρηστέρισε.* A quibus recedit quodammodo Valcke-  
naris, qui pag. 44. laudem inventionis ingeniose vin-  
dicat Callimacho: „Callimachus fortasse, cui Diis a  
Regina devotus crinis, et Alexandrinis indictae dedi-

\*) Cum iis, quae Valckenarius disputat de Eratosthe-  
nis libello, tamquam libri maioris epitome, confe-  
renda est H. Grauerti erudita' dissertatio, quam  
scripsit de Arati Solensis carminibus. (Museum  
Rhen. t. I. fasc. 4. pag. 336 — 348.)

cationis in Arsinoës templo solemnitas, dudum ante innotuerant, carmen hoc suum iam meditatus, nemini nocentis, sibi doctisque e Museo sodalibus fructuosi commenti primus auctor, facile rem, quae iocandi praeberet viris doctis inter pocula materiem, amico approbavit Cononi.“ Caeterum in hunc usque diem Aegyptiacae Reginae caesariem in Leonis cauda considerant astronomi; hisoria sive fabula comae in sidus conversae egredit convenit aetatis Ptolemaeorum moribus atque naturae, levitati scilicet lepideque cogitandi modo, quem omnibus fere in rebus, ne artibus quidem exceptis, valuisse satis abundeque constat. — In codicibus primisque editionibus, Veneta. 1475, quam ipse inspexi, Regensi, aliis, continua nostri eiusque, quod ad Ortalum scriptum est, carminis verba leguntur. Ad quem versuum distinctio revocari debeat, ad liquidum vix perduci poterit, hoc autem scimus certissime, in editione Aldina 1502. Catulli Callimachique, ut ita dicam, verba exhiberi disiuncta. Hoc quidem rectissime, sed quaeritur de carminis titulo sive inscriptione. Evidem carmini praefigenda esse puto verba „Coma Berenices“, cum ipse Callimachus, nisi fallor, scripserit: *Βερενίκης πλοκαμος* sive *βόστρυχος*, minime autem ediderit: *περὶ Βερενίκης πλοκάμου* sive *βοστρύχου*, quod quidem illi statuere videntur, qui „De Coma Berenices“ excudi iusserunt, acsi supplenda

essent: disputat hoc carmine poeta de Coma Berenices. Valckenarius, si recte percipio, quae pag. 60. scripsit, nullam poni inscriptionem volebat.

Incipit carmen a laudibus Cononis (V. 1 — 8.); a quo se primo animadversam esse Coma praedicat. Hoc incipiendi genus quam aptum sit, vix est, quod moneamus; est enim epica argumenti explicandi sive enarrandi ratio, quam adamasce Callimachum tamquam Homeri studiosum satis constat. Primos igitur hos carminis versus προοιμιον quasi continere dixerim, qui eo deducant lectorem, ut quid velint sibi sequentia accurate cognoscere queat.

v. 1.

„Omnia qui magni dispexit lumina mundi.“ Sic nunc in omnibus, quot scio, Catulli editionibus recte legitur. Debetur autem haec emendatio „dispexit“ Calphurnio, quem primum fuisse scimus, qui critici partes in poetae nostri carminibus egit. Cfr. supra pag. 31. Secuti eum sunt Antonius Parthenius, Achilles Statius, alii. — Callimaehus quid scripserit, sciri non licet, certe non scripsit, quod habet Salvinius: ἐγεύοτο, qui dupliciter peccasse nobis videtur, cum neque commodo vocabulo, neque recta temporis forma usus sit. Posuit poeta Graecus eam verbi formam, qua praeteritiae actionis durans adhuc effectus significatur, ut hic loci sensus existat: Conon sidera coeli

perlustravit atque nunc cognita habet. Quanto melius Scaliger: *δεδοκημένος!* Apud Catullum mundi est, usitata scriptoribus latinis significatione. Quo vocabulo Callimachus usus sit, incertum. Fortasse, quod simplicissimum, *οὐρανοῦ*. Certe non scripserat ille quod Salvinio in mentem vicit, *ζόσμου*, quae est observatio Naekii (Schedae Criticae pag. 9. seqq.) post Bentleium de usu vocis *ζόσμος* disputantis,

## v. 3.

„Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur.“ Haec quin gunuina sit Catulli scriptura, nemo nostra aetate dubitabit neque cogitari posse de vocabulo rabidi, facile apparet, cum non de ardentissima solis aestu sive ictu sermo sit, uti apud Horatium Carm. I. III. 29. 19, qui Leonem dicit *vesanum h. e. rabidum*. Cfr. ad Horatii locum Mitscherlich. Huschk. ad Tibull. Eleg. I. I. 2. 40. Schneideri Grammat. Lat. t. I. pag. 216 seqq. Rapidus solis quomodo expresserit Callimachus, non facile dicam, cum in poetae huic se scriptis nullus inveniatur locus, unde certe coniici aliquid liceat. Unum tantummodo restat solis epitheton; quod fortasse Catulliani vocabuli sensum contineat. Scripsit scilicet Callimachus ad Cleonicum Thessalicum (Epigram. XXXII. 1 — 2. edit. Ernest.) haec:

*Θεσσαλικὲ Κλεόνικε τάλαν, τάλαν, οὐ, μὰ τὸν ὄξὺν  
Ἡλιον, οὐκ ἔγνων, σχέτλιε, ποῦ γέγονας.*

quibuscum egregie consentiunt, quae leguntur in  
Homeri H. Apoll. v. 374:

*οὐνεα πεῖθι*

*Ἄντον πῦσε πέλωρ μένος ὅξεος ἡελίοιο.*

v. 5.

„Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans“: Scripturam Is. Vossii Lamina, praeter Vulpium et Valckenarium, refutat Laur. Santenins egregia illa disputatione in Catull. Eleg. ad Manlium v. 54. pag. 19. Cicero, ut unum de Latmo testem afferam, Tusc. Quest. l. I. 38. „Endymion vero, si fabulas audire volumus, ut, nescio quando, in Latmo obdormivit [verba qui est mons Cariae rectissime haud dubie tamquam glossema signis includit F. A. Wolfius] — nondum, opinor, experrectus est“ Callimachus quam lepide fabulam finxerit, copiose explicat Turnebus Adversar. l. XXVI. 11, qui adeundus est apud Valckenarium pag. 66. Aptă est Doeringii observatio, Cononem lunae defectum non ex fabula, sed ex causis physicis interpretatum esse; est enim haec docta explicandi ratio cum ad Cononis, mathematici scilicet, tum aetatis illius naturam egregie accommodata, ubi omnia ad causas sive *altriās* revocare studebant viri docti et unice valebat *ἐπιστήμη*.

v. 6.

„Dulcis amor gyro devocet aero“ Valckenarius, etsi

a Vossio persuaderi sibi non passus est, licet iste neque habere palatum neque aptum esse ad literarum studia statuerit, qui non probet scripturam clivo, laudat Laur. Santenii coniectaram: „dulcis amor currus devocet aero“ — quam ad lectionem commendandam plura occurrere requirenti observat. Eleganter haud dubie commutavit locum Santenius, quin emenda-  
verit, vehementer dubito. Quis enim putabit, multo doctius atque exquisitus vocabulum a librariis Catullo esse restitutum, expulsum illud, quod omnibus notum fuit atque satis tritum? Praeclare versus 5 et 6. graece expressit Janus Dousa, F., quem tum temporis admodum iuvenem fuisse scimus:

‘Ως ποτὶ Λάτμιον ἄντρον Ἔρως γλυκὺς ηερόφοιτον  
 Κρυπταδίως κατάγοι Ἀρτεμιν οὐρανόθεν —  
 etsi adverbii forma κρυπταδίως me offendit, quam profecto non usurpavit Callimachus, qui utitur hymn. in Iov. v. 34. vocabulo κρύψα (— ἵνα κρύψα παιδεύοτο); neque invenitur illa apud Homerum, qui scribit κρυπτάδια, neque apud eos, qui secuti sunt Homerum, quorum est κρυπταδή, quod, nisi praeferas Callimacheum κρύψα, facillime in versum recipietur. Neque cogitavit Jan. Dousa de proprio Lunae adiectivo, quod quamquam in Callimachi carminibus non exstat, tam frequens tamen est, ut poeta graecus scripsisse illud

censendus sit. Cfr. Callim. hymn. in Dian. v. 38;  
 καὶ μὲν ἀγνιαῖς — "Εσση καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος, —  
 quam sententiam, praesesse scilicet Dianam viis et colis  
 in triviis, nostro loco exprimens Callimachus usus  
 fortasse est voce: τριοδῆτις, quae bene respondet  
 Apollini *Ἄγνιεῖ*. Cfr. Spanhem. ad Callimach. l. l.  
 Doering. ad Catull. c. XXXIV. 15. Valcken. ad Phoen.  
 634. Denique non satis placet optativus verbi *κατάγοι*,  
 quem mutaverim in: *κατάγει*.

v. 7 — 10.

Idem me ille Conon coelesti numine vidit  
 E Bereniceo vertice caesariem,

Fulgentem clare: quam multis illa Dearum,  
 Levia protendens brachia, pollicita est.

Inspicienda sunt Callimachi fragmenta, quae ser-  
 vavit seholiastes ad Arati Phaenom. v. 146:

"Ηδὲ Κόνων ἔβλεψεν ἐν ηέρι τὸν Βερενίκης  
 Βόστρυχον, ὃντ' ἄρα κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖσιν —  
 quae metri restituendi causa sic scripsit Muretus:  
 "Ηδὲ Κόνων μὲν ἔβλεψεν ἐν ηέρι τὸν Βερενίκης  
 Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Hunc in modum correcta edidit Fellus, post eum  
 Bentleius; aliter versus scriptos exhibuit Politianus  
 Miscell. c. 68:

"Η με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ηέρι τὸν Βερενίκης  
 Βόστρυχον, ή κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Addidit his Latina „vel me Conon vedit in aëre Berenices crinem, vel illa omnibus posuit Deis.“ Prorsus vitiosa esse Politiani, facile intelligitur, nullam enim particulæ η — η hoc loco praebent sensum, sed fortasse viam monstrarunt Valckenario, qui, cum vocabuli ηδὲ significationem a scriptoris sententia alienam esse vidisset, egregie emendavit:

*H με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ηέρᾳ  
cerete, profecto, me Conon in coelo vedit —  
praesertim cum non male suspicemur, ex codice dedisse  
Politianum scripturam η με. Quaeritur, quae sit ge-  
nuina Catulli lectio, de qua copiosae sunt virorum  
doctorum disputationes. Santenii coelesti munere  
et Valckenarii coelestum munere, quae codicum  
auctoritate non satis probentur et ab archetypo nimis  
recedant, amouenda existimo, de eo unice ambigens,  
utrum a Catullo lumine, an numine, profectum  
sit. Probavit quidem Silligius codicibus et commode  
explicuit numine, sed quomodo hoc vocabulum cum  
Graecis conspirat? Num hoc verbo Callimachea ἐπ  
ηέρᾳ expressit Catillus? Nemo profecto affirmabit.  
Vitium fortasse inest scholiastae verbis et quod scrip-  
serat Callimachus periit? Hoc cur statuamus, nulla  
adest causa, immo bene se habent Graeca. En habes  
locum, ubi liberius rem suam agit poeta latinus et  
suum ipsius ingenium secutus addit sententiam a Cal-*

limachi carmine alienam. Haec explicandi ratio etsi nullus dubito, quin codicum auctoritati valde conveniat, facere tamen non possum, ut non iterum iterumque de Vossii Vulpiisque scriptura coelesti in lumine cogitem, quae ita placuit Valckenario, ut in textum receperit: et sensisse videtur Canterus Nov. Lect. IV. 2., respondere Latina coelesti lumine, ut coniecerat, Graecis ἐν ἡέσι, de hoc non satis certus „utrum lumen de aère similiter intelligendum sit, quemadmodum dixerat Callimachus ἐν ἡέσι, an potius ad fulgorem referendum.“ Hoc non quaerere debebat Canterus, cum ex versu 59. pateat, coelesti lumine idem esse, quod in lumine coeli, ut circumscripit Catullus copiose, quae breviter dixerat Callimachus. Sed haec, quae disputavimus, nemini, opinor, persuadebunt, ut retineat Canteri coniecturam, cum ea ipsa causa, qua probare conati sumus scripturam coelesti lumine, plane concidat illis, quae scripsit Catullus v. 10. „Levia protendens brachia,“ quorumne vestigium quidem in Callimacheis invenitur. Non igitur ad verbum expressit poeta noster Graeca: addidit, quod scribendum esse censeo, coelesti numine; addidit: e vertice et prorsus mutavit alteram distichi partem, quod mirum est. Grata nobis foret Statii coniectura, in Callimacheis fuisse πολλῆσι θεάων, si perperam verba graeca a scholiasta allata esse iure

statui posset. Haec quidem mera est coniectura, quam comprobare argumentis non licet; neque demonstravit Valckenarius, *contraxisse* Callimachea Theonem, Arati scholiastam atque e quatuor versus effecisse duos. Dubitat praeterea Valckenarius, genuinane sint verba Catulli, quae Callimacheis amissis respondeant, reprehendens illud, Reginam vidisse „caesariem fulgentem clare,“ — deinde „quam multis illa Deorum pollicita est,“ denique „Levia protendens brachia“; statuit igitur, versus 9 et 10. nec Callimacheos esse, neque Catulli, sed loco versuum olim scriptorum, qui in membrana veterima vix legi potuerint, ab alio longe recentiore positos. Affert Valckenarins Eratosthenem, qui scripserit: „*ἀμανῷι ἐπτὰ ἀστέρες ὑπὲρ αὐτὸν δρῶνται*“ i. e. stellae obscuriores. Est quidem haec vocabuli *ἀμανῷος* significatio, sed vix apte mathematici verbis utitur Valck., qui haud dubie bene intelligebat, poetae inventum non ad astronomiae disciplinam esse revocandum. Liceat minus splendeat Coma Berenices, clare tamen eam fulgentem singere debebat Battiades, quippe qui *χαριζόμενος* Reginae callide rem suam egit. — An putabimus, male scripsisse Catullum: *Levia protendens brachia?* Eleganter hoc addidit poeta, quem bene explicitus Huschkius ad Tibull. t. II. pag. 481, non satis accurate a Valckenario nostrum locum tractatum esse observans. Pro „precari

deos“ vel simpliciter dicitur: *χεῖρας ἀναστένειν θεοῖς, ἀείγειν θεοῖς*, brachia tendere, pretendere diis, vel coniunctim: precari et brachia pretendere diis. Cfr. Huschk. I. I. Accuratus mihi insipienti locum videtur Catullus vocabulum Graecum *ἀναθέναι* sive *τιθέναι* de iis, quae diis devoventur, proprium (cfr. Valcken. ad Euripid. Phoeniss. 577. Wolf. ad Demosth. Leptin. pag. 307.) aptissime expressisse eo, quo fecit, modo, cum multo latius pateat verbi *polliceri* significatio. Neque versu 34. tribuit poeta sacram huic voci potestatem, sed addidit: „Non sine taurino sanguine“ quo intelligatur, de solemni diis comae consecratione sermonem esse. Cfr. Callim. Epigr. LI. 3. Restat tertium, quo premi dicit Catulliana Valckenarius, neque ego, quod tamquam certum afferam, habeo. Opposita scilicet sunt, quae nostro loco dicuntur, illis, quae sequuntur v. 33 et 34:

Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge Divis

Non sine taurino sanguine pollicita es —

De scriptura cum dubitatio esse non possit, propterea quod utroque loco codicum auctoritate atque editionum veterum unanimiter confirmatur, illud sane mirum est, scholiastam nobis conservasse *πᾶσιν* versui 34. optime conveniens. Orellium, qui caesariem non cunctis Diis, sed soli Veneri devoveri potuisse contendit, refutavit Silligius Callimachea comparans. Sibi

igitur non constitit Catullus, qui recedens a Callimacheis non solum non ad verbum expressit Graeca, sed ne sensum quidem integrum nobis reddidit, nisi quis vulnus suspicans in verbo multis inveteratum existimabit a poetae manu profectum esse substantivum, unde pendeat genitivus Dearum. — De scriptura Beroniceo inspiciendus est Niebuhrrii, viri illustris, liber, cui titulus: Scripta historica et philologica minoria, Bonnae. 1828. t. I. pag. 237. Annotavit ibi Niebuhrius ad locum Hygini Astronom. II. 24. pag. 400. edit. Munck., scriptum esse in utriusque linguae librorum codicibus Beronicen ex Macedonum orthographiae legibus, qui praeterea litera Φ pro Graecorum *B* usi fuerint. Callimachus, exquisitiorem scribendi rationem secutus, num ediderit *Bερονίκη*, vix ad liquidum perduci poterit. Defendi apud Catullum formam Beroniceo posse, facile intelligitur; e codicibus, quid scripserit ille, non liquet.

v. 11.

Qua rex tempestate, novo auctus hymenaeo,  
Vastatum fines iverat Assyrios.

Verum iam viderunt Statius atque Scaliger, auctus retinentes, quanquam non assentior Doeringio, qui consulto evitare noluisse statuit Catullum hiatum, quo gravior et ad legendum difficilior existeret versus. Scripsit de hiatu, cuius genera non bene distinxerant

viri docti, Schneiderus l. l. t. I. fasc. 1. pag. 105. 113.  
 149. litera β. — Chronologiae carminis primus rationem habuit ad h. l. Valckenarius, post eum copiosius tractavit Orellius l. l.: docte atque accurate disputat de tempore, quo scripta esse videtur elegia, Niebuhrius l. l. pag. 179 — 305, cuius viri summi egregiae commentationi tam multa debemus, cum in universum ad Ptolemaeorum aetatem, tum ad carminis Callimachei personas spectantia, ut ipsam legere debeat, si quis omnino elegiae sensum percipere velit. — V. 15. incipit disputatio de virginum lacrimis, quas fundere solent recens nuptae atque e parentum domo in thalamos ductae. Berenices Coma vehementer se dubitare dicit, utrum ex intimo illae lacrimae animo proficiscantur, an consulo eliciantur; hoc ubi comprobatum est, elegiacum quodammodo carmen sequitur, quo, qualia passa sit, caesaries exprimit. Quomodo cahaereant haec, sunt qui non satis intellexerint. Dixerat Coma, a Conone animadversam se esse in coelo clare fulgentem, devotam scilicet a Regina tum temporis, cum Ptolemaeus, cui nuperrime nupserat, expeditionem [Vastatum fines iverat Assyrios] susciperet. Jam procedit Catullus:

Estne novis nuptis odio Venus?

Hoc tantum abest ut verum sit, ut cura exedat modullam coniugum a maritis derelictarum; tristitiae

prorsus se dedit Berenice, cum virum mitteret. — Attulit ad versum 15. Jos. Scaliger fragmentum Callimacheum, CXVIII. edit. Ernest., de cuius versu primo:  $\eta\pi\alpha\zeta\eta\pi\alpha\zeta\lambda\varepsilon\iota\sigma\tau\sigma\zeta$  nota est docta Salmasii ad Tertull. de Pallio pag. 177. — observatio, quem Callimachi pariter, atque Catulli verba citantem memoria fefellit. „Puellas virgines, sunt haec Salmasii permuntantis Catulliana epitheta verba, quas tenellis asservandas diligentius uvis poeta nescio quis scribit, Callimachus etc.“ Cfr. Catull. Carm. XVII. 15:

Et puella tenellulo delicatior haedo,  
Asservanda nigerrimis diligentius uvis —

v. 18.

Non, ita me divi, vera gemuunt, iuerint.

Hoc modo nunc recte legitur versus, qui multum vexavit Catulli editores. Quaeritur de verbi forma iuerint, quam recepit Avantius, quem ad nostrum usque diem fere omnes secuti sunt. Afferri quidem possunt loci, unde simili ratione positum esse verbum iuvare comprobari licet, ut unum tantum adscribam Cic. de Senect. initio; sed haec intercedit inter omnes, quotquot scio, atque nostrum locum differentia, quod ita in Catulli versu pronuntiandum illud iuerint est, ut existat anapaestus propter rationem metricam, apud caeteros contra scriptores eam scdem vocabulum nostrum obtinet, quae longam etiam syllabam admittit.

Fortasse alia exstant praeter Catullianum exempla; equidem nullum inveni. Cfr. Sillig. ad h. v., qui viros doctos de forma a Catullo usurpata disputantes enumerans omisit Schneiderum l. l. pag. 361 coll. 127, qui iuerint tamquam genuinum affert. — Forcellinus s. v. iuvare corripuisse Catullum dicit primam syllabam formae iuverint, quod statui non posse, facile intelligitur.

v. 21 — 25.

At tu non orbum luxti deserta cubile,  
Sed fratris cari flebile discidium,  
Cum penitus moestas exedit cura medullas!  
Ut tibi tunc toto pectore sollicitae  
Sensibus creptis mens excidit!

Sie scribendos atque interpungendos esse versus censeo, quorum 21, 22 et 23. gravem et acerbam ironiam continent. Coma, quae de recens nuptarum querelis, coniugum scilicet discessu ortis, dixerat, iam inflectit orationem: at tu, inquit, o Berenice, lacrimas non fudisti mariti, sed cari fratris discidii moerore paene consumpta. Quo magis pateat, alia cogitare Comam, alia eloqui, perbene annexit Catullus, quibus graviora et ad exprimendum summum animi humani dolorem aptiora proferre non poterat: „cum penitus moestas exedit cura medullas,“ de qua dictione e Graecis scriptoribus petita cfr. Valckenarius pag. 105 seqq.

Caeterum propriam Catullus inesse voluit significationem particulae at, de cuius vario usu cfr. Handius ad Tursell. pag. 420. — Versu 24. vere exclamat coma, quae sentit: adeo Regina dolore excruciat a es, ut mens tibi excederet. Lachmannus post discidium interrogationis, post medullas exclamandi signum posuit; quam ob causam nescio, cum non facile verba sic distincta intelligantur. Neque placet, quod edidit Silligius: „et tu non orbum,“ nihil enim praecedit, quo coniunctionem et referas. Ex his, quae de loci sensu annotavimus, perspici posse puto, Bentleii coniecturam „quam penitus exedit“ praeclararam quidem illam, (cfr. Huschk. ad Tibull. Eleg. I. II. 5. 83. Silligius male: 38.), non esse necesseriam, praesertim cum scriptura cum codicibus et editionibus antiquis probetur. Sensibus erectis accommodatum esse ad Graecam orationem dicendi genus, edocuit nos Valekenarius, qui addere poterat Ennii locum in Ciceronis de Senectute libro pag. 34. edit. Gernhard.

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant  
Antehac, dementes sese flexere?

Sed mihi non persuasit Valek., ut prorsus damnarem illud, quod codices nobis servarunt: sensibus erectis, et editum nuper est a Lachmanno. Erectis legendum esse praeente Is. Vossio putat Valek., quod erectis iam sensibus mens excedere dici non possit.

Priusquam talis coniungendi verba rationis, non quidem ex logicae regulis petitae, exemplum proferamus, adscribimus e poetæ nostri carmine LI versus, apprime ad scripturam erectis stabiendi facientes:

Ille mihi par esse deo videtur,  
Ille, si fas est, superare divos,  
Qui sedens adversus identidem te  
Spectat et audit  
Dulce ridentem, misero quod omnes  
Eripit sensus mihi:

Eodem igitur vocabulo usus est Catullus, quem constat vertisse hoc modo carmen Sapphonis praeclarissimum, servatum nobis a Longino, accurate tractatum a F. Th. Welckero, viro insigniter de me merito et nuperim cum caeteris poetriae fragmentis editum a Chr. Frid. Neue (Sapphanis Mytilenaeae Fragmenta: Berol. 1827.), in quo haec Latinis respondent:

*τὸ μοὶ ἔμαν  
καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.*

Non ad verbum reddidit poeta Latinus Graeca, quae tamen eandem sententiam exprimunt. Vocabulum πνεῖν, πτοιεῖν, πτοιᾶν néque a Callimacho alienum. Cfr. H. in Dian. v. 191: ἦς ποτὲ Μήνως — Πτοιηθεὶς ὥπ' ἔρωτι κατέδραμεν οὐρα Κορήτης ibique interpret. apud Ernest. Quid Callimachus hocce carmine scripsit, dici non potest, id vero tenebimus, utroque loco

et nostro et eo, quem indicavimus, H. in D. 191. sermonem esse de animo amore mire capto et quodammodo perturbato; fortasse fuit in Graecis illud *πτοεῖν*, quod cum uno verbo reddere non vellet Catullus, circumscrivebat: „*sensibus* *ereptis*,“ quae bene conveniunt paullo ante a nobis e carmine LI allatis. Jam preeveniamus ad alterum, quod male habet Valckenarium. Aeschylus (Persae 433. edit. Wellauéri) simile tractans argumentum describit mulierum recens nuptarum luctum, quae, cum occisi essent mariti, sese ipsas iam periisse putabant. Quapropter praedclare chorus:

*Ἄλι δ' ἀβρογόοι Περσίδες ἀνδρῶν  
Ποθέονσαι ἵδεῖν ἀρτυζνγίαν,  
Ἄειτρων τ' εὐνὰς ἀβροχήτωνας,  
Χλιδανῆς ἥβης τέρψιν, ἀφεῖσαι,  
Πενθοῦσι γύοις ἀκορεστοτάτοις.*

Omnino ferri non posse putat Wellauerus adiectivum *ἀβρογόοι* luctum designans, cum id ipsum, lugere et lamentari mulieres, infra de iis praedicetur. Hoc equidem Wellauero non concedendum statuo, sed bene se habent Aeschylea; in quibus *προλήψει* quodammodo usus poeta eleganter adiectivo exprimit sentiam, quam pluribus verbis in eadem periodo explicatam proponit. Tali igitur modo scripsit Catullus *sensibus ereptis*, non satis quidem accurate, sed

eo, quo solent poetae, liberius vocabula coniungendi more, cum proprie dicendum fuisset: mens ita excidit, ut sensus eriperentur sive: sensus crepti sunt et mens tibi excidit. Aliam praeterea difficultatem versu vicesimo secundo inesse, inde ab Achille Statio intellexerunt quidem interpretes, sed ad hunc usque diem, aliam alii explicandi viam incuntes, quod extra omnem dubitationem positum esset, eruere non potuerunt. Agitur de vocabulo *fratris*, quod amatorie a Catullo, praeunte Callimacho, usurpatum esse existimat Statius, cognatos autem, ἀτεψιοὺς η συγγενεῖς significare voluit Valckenarius. Haec interpretandi pericula non bene cessisse viris doctis, apparere inde puto, quod omnis omnino sententiae vis atque elegantia perit, si verbo *fratris* nihil, nisi amoris affectum exprimi cum Achille Statio statuemus. Contraria sibi a Catullo posita esse: „at tu non orbum luxti deserta cubile,“ et: „sed fratris cari flebile discidium,“ — satis probasse mihi videor, neque integra erit loci praestantia atque virtus, nisi propriam vocabulo *fratris* significationem vindicaverimus. Pendet autem omnis haec disputatio ex Ptolemaei Berenicesque accurata familiae cognitione, multa illius obscuritate pressae, ita tamen a Niebuhrio explicatae, ut post tanti viri de hoc arguento commentationem non habeam, quod addam;

huius igitur liber, supra a mē laudatus, adeatur  
pag. 229 seqq. \*)

v. 27 — 28.

Anne bonum oblita es facinus, quo regium adeptā es  
Coniugium, quo non fortius ausit alis?

Sic iam optime scripsit Muretus, quocum consentit Lachmannus. Exquisitus hoc esse et magis ad poëticum dicendi genus accommodatum, quam quod Silligius dedit: „quod non fortior ausit alis,” sponte intelligitur. Neque *κανοφωνίαν* ex repetito vocabulo quo nasci putare debebat Doeringius, cum haud dubie bene sentiret Muretus, alter ille latine scribendi magister, aures Latinae ferre quod possent. Non nimis curiosi erant in evitanda eorundem vocabulorum in eadem periodo repetitione scriptores veteres, quod multis exemplis comprobatur, ut prorsus a nostro de suavi literarum verborumque sonitu iudicio recedere videantur. Id potius vituperaverim, scripsisse Catullum versu 32: *a caro corpore*, cui nescio quid *αἰσχρόν* inest, — sed ne hoc quidem recte, siquidem Callimacheum *σωμα* expressum esse a poëta Latino meminerimus,

\*) Legantur imprimis ea, quae adiecit Niebuhrus in nota quadragesima, quorum summa eo rēdit, ut, loci Catulliani sive Callimachei ratione habita frātē quidem fuisse Berenices Ptolemaeum, sed non eundem patrem liberos habuisse coniectura monstretur.

de quo verbo Graeci tamquam re turpi parumque ad pulchri eorum sensum accommodata numquam cogitabant. Cfr. Valcken. ad Phoeniss. 416 et de altera vocabuli significatioue Lobeck. ad Phryn. pag. 378. Multo elegantius, sed et ipsum e Graecis scriptoribus, ut videtur, petitum illud est, quod habet Horatius Carm. L. I. 24. 2.: cari capit is, — de quo cfr. Burmann. ad Propert. II. 18. 86. et interpret. ad Sophocl. Antig. v. 1.

v. 33.

Atque ibi me cunctis —

Verum vidit Bentleius, cuius egregia coniectura in omnes fere Catulli editiones recepta est. Offendit Valckenarium vocula *ibi*, quae quid sibi velit, cum praecesserit *tum*, non satis perspicientem. Evidem nullam hoc loco difficultatem video, cum satis constet, voculas *ibi* et *tum* ad temporis notionem revocatas idem prorsus significare; vel coniunctae leguntur apud Ciceronem. Muretus post v. 34. versus aliquot desiderari putat, quibus poeta Berenices vota pluribus exposuerit. Non recte eum suspicatum esse, primum intellexit Anna Fabri, cui assentit Valckenarius. Neque ego, quantum carminis sententiarum nexum perspicio, qua causa adductus statuere hoc potuerit Muretus, percipio; Comam una cum taurino sanguine devovit Regina diis, haec est carminis summa; in hoc omnia redeunt, neque abest quidquam, quod addi debet.

v. 35 — 36.

*Si redditum tetulisset. Is haud in tempore longo*

*Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.*

Haec est veterum librorum scriptura, ab Is. Vossio revocata, quem omnes fere Catulli editores secuti sunt, excepto Valckenario, qui τὸ ἐν διὰ δνοῦ, Berenicen scilicet caesariem pollicitam diis fuisse, si maritus brevi tempore victor ex Asia rediret in Aegyptum, dixisse Catullum existimans, voculam, quae duo coniungat, requirit; scripsisse igitur putat Valckenarius poetam sic:

*Si redditum tetulisset is, haud que in tempore longo*

*Captam Asiam Aegypti finibus addidērit*  
*vel adiiceret. Bene hoc animadvertisset, si verum*  
*esset, quod statuit Valckenarius, versus 35 et 36. per*  
*particulam quandam inter se esse coniungendos: hoc*  
*loci natura non postulare videtur, qui apte sic procedit:*  
*comam Regina diis, si rediisset Ptolemaeus, se devotu-*  
*ram esse promiserat; non rediit solum ille, sed brevi*  
*etiam tempore Asiam subiecit. Et languet profecto pro-*  
*nomen is ad praecedentia revocatum, quod εὐφατικῶς*  
*in subsequentis periodi initio positum facile feremus.*  
*— V. 38. novo munere ita explicuit Doeringius, ut*  
*novo Deorum beneficio Berenices crinis inter coelites*  
*relatus sit. Sed durum hoc esse interpretandi pericu-*  
*lum iure videtur Censori editionis Doeringii: Biblio-*  
*theaca literaturae artisque veteris t. X. pag. 67. seqq.*

Quanto melius Valckenarius illa interpretatus est, cuius admonitione commotus frustra operam dedi, ut inventirem locum, unde Berenices dedicandae comae rationem ab aliis etiam initam esse perspici posset.

v. 37 — 38.

Quis ego pro factis coelesti reddit a coetu  
Pristina vota novo munere dissoluō.

Haec, quae bene se habent, ita mutavit Valckenarius, ut vocabula „coelesti — coetu“ uncis includeret et pro „dissoluō“ scribi iuberet „dissolui.“ Sed cum stellarum se numero additam esse eoque dicat coma pristina vota dissolvi, intelligitur, magnum in illis „coelesti reddit a coetu“ situm esse momentum, quae, quod arctissime cum reliquis versuum horum verbis cohaerent, non apte commate post coetu posito distinxisse videtur Silligius. Rectius Lachmannus. Praesentis autem temporis forma dissoluō exprimit Catullus, ad hunc usque diem reddi vota, quae Regina Diis pro felici mariti redita conceperat. Inde a versu tricesimo nono comae a capite Berenices abscissae affectus describuntur; invitus cessit, neque unquam cessisset crinis, nisi ferro resistere insipientis esset. Ne montes quidem hocce conati sunt, quid crines facient? Sententiae mire quidem a Callimacho inventae, sed eleganter expressae v. 48 — 49. apte adduntur illa: Jupiter, ut Chalybum seqq.

Adiuro teque tuumque caput.

Callimachea conservata nobis in Etymolog. M. pri-  
mus detexit Bentleius. Leguntur scilicet apud Etymo-  
logum s. v. θηλαμῶν haec: Κάρη θηλυκῶς, ὡς παρὰ  
Καλλιμάχῳ.

*Ἔν τε κάρην ωμοσα σόν τε βίον.*

Vocem *ἥν* corruptam esse ex *σήν*, Bentleius facile  
vidit. Formam Callimacheam *ἥ κάρη* prorsus esse sin-  
gularem, docet Thomas Magister in *Κεφαλή*: *ἥ κάρη*  
*παρὸν οὐδενὶ εὑρηται, εἰ μὴ παρὰ Καλλιμάχῳ*. Haec  
non satis accurate scripsit grammaticus. Cfr. Theogn.  
v. 1023 edit. Im. Bekkeri, qui nulla scripturae varie-  
tate annotata edidit:

*Οὐ ποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ἐπὸν ζυγὸν αὐχένα θῆσω  
Δάσκαλον, οὐδὲ εἴ μοι Τυλός ἔπεστι κάρη.*

Neque aliter scripsit hos versus Welckerus (v. 793.  
794.) Cfr. practerea Mosch. IV. 74:

*Kαὶ σε μάλιστη πάγιως διοφύρομαι ήδ' ἐλεαίω,  
Οὔγενεν ἡμετέρου λαγοῦ μετὰ δαιμονος ἔσχες,  
὾ος δὲ ἡμῖν ἐφύπερθε κάρης βαρὺς αἰωδεῖται.*

Passovius s. v. *κάρη* Theognidi, uti Moscho atque Cal-  
limacho vocabuli *κάρη* tamquam feminini usum assig-  
nat, a cuius sententia recedit Buttmannus Grammat.  
Graec. maioris t. II. pag. 405. 406. qui, cum apud  
Theognidem, unde genus intelligi possit, additum non

sit, dativum *κάρη* cum tragicorum poetarum neutro *κάρη*, Soph. O. C. 564. Antig. 1272 bene conspirare observat. Haec explicandi ratio propterea quod neque Moschi neque Callimachi, id est, nostro loco conuenit, his, ut posterioris aetatis scriptoribus, novandi studio ductis, forma *κάρη* assignanda erit. Nescio, unde sumserit Jos. Scaliger scripturam *Αέρης κάρην* Aesch. Prom. 678. quam monente Valckenario in margine libri sui annotavit. Meram equidem Scaligeri esse conjecturam putaverim, fortasse nulla codicum auctoritate confirmata, neque causae quidquam est, cur vocabulum *ἄκρην* mutetur.

## v. 41.

Digna ferat, quod si quis inaniter adiurarit!

Haec, quibus ex animo, id est vere, iurasse comam comprobat Callimachus sive Catullus, uncis includenda statuo, quod v. 42. particula adversativa sed revocanda est ad ea, quae dixerat crinis v. 39. 40., ut haec sit sententiarum ordo: *invita de vertice ego cessi; hoc iuro sed quis e. q. s.* Fortasse Callimachum imitans Catullus scripsit: *quod si quis pro: „digna ferat ille qui inaniter adiurarit.“* Graecis propriae dicendi rationis εἰτις non recordatus Scaliger, caeterum ad Homericam orationem accedens, vertit: ὅς κεν ἐπίορκον δμόσσωι, Salvinius in hoc minus quidem haud dubie a Callimacheis aberrans, versum exhibuit inelegantissimum: εἰς κενὸν εἰ ᾠραῖξε τις, ἄξια δέξετ' ἀποινα.

Caeterum inepte a Callimacho Berenices comam cum monte Athoe comparatam esse, bene iam perspexit Censor editionis Catulli Doeringianaæ l. l., qui poetæ versus 40 — 50. ad carminis, quod dicimus, heroico-comici mores modumqne accommodatos rectissime observat. Sed, quod proposuisse sibi Cellimachus putandus est, ut inyeniret scilicet argumentum, quo νεωτερὶς ζοντα tum temporis hominum animum mire suaviterque teneret, id haud dubie feliciter assecutus est Battiaedes.

v. 45. 46.

Quum Medi pepulere novum mare, quumque  
iuventus

Per medium classi barbara navit Athon.

Praeclaræ Statii conjecturæ, quam non reiicere debebat Is. Vossius, rescribens peperere, addere liceat praeter Tibulli locum II. 5. 39 et Catulli c. LXIV. 58. Homeri Iliadis versum l. VII. 6. ἐλάτησιν πόντον ἐλαύνοντες, i. e. pontum remis pellentes. Aesch. Pers. 397: ἔπαισαν ἐλμην κώπης ρέθιάδος ξυνεμβολῆς. Patet hinc, dixisse scriptores Graecos non simpliciter πόντον ἐλαύνειν, παιέιν, sed addito, quo fieri illud solet, instrumento. Neque primum aliter puto usos esse vocabulo pellere Latinos, qui a vulgari dicendi lege postea recedentes, audacius scribebant: mare pellere. Dictio militaris: iuventus barbara optime illu-

stratur loco Aeschyli Pers. 12: *πᾶσα γὰς ἵσχυς  
Ἄσταρογενῆς ψήφων*, quibus adiiciuntur v. 65. seqq. egregii illi versus, qui cum Catullianis aptissime conferentur.

## v. 48.

Juppiter, ut Chalybon omne genus pereat —

Sic restituit locum Politianus Miscell. LXV, III. secutus scholiastam ad Apoll. Rhod. II. 375:

*Χαλύβων μέμνηται καὶ Καλλίμαχος.*

*Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος,*

*Γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἱ μιν ἔφηναν.*

Commemorat ad hunc locum A. Wellauerus Dionys. Perieg. 768. 769:

*τοῖς δ' ἐπὶ καὶ Χάλυβες στυφελὴν καὶ ἀπηρέα γαῖαν  
νάιονσιν, μογεροῦ δεδυκότες ἔργα σιδῆρον.*

quibus satis abundeque efficitur, ferri fuisse scrutatores atque artifices Chalybes. Cfr. Apoll. Rhod. I. 1023. III. 1004. IV. 1475. Herod. I. 28. Strab. XII. pag. 89.

Apud Callimachum praeter hoc fragmentum nullum inveni locum, quo Chalybum mentio fiat. Valckenarius Withofii de Telchin. pag. 43. conjecturam Telchinum ita probat, ut in textum eam reperit, non satis gravi, ut mihi videtur, causa commotus. Ipse Withofius videri quidem posse Chalybes ferri tractandi studiosos coneedit, sed a vocabulo *Χαλύβων* nimium distare censem codicum vestigia. Hoc recte quidem

ille, sed tantum huic scripturae discrepantiae non tribuere debebat Withofius, ut emendatione opus esse inde colligeret. Scriptum haud dubie in codice veteri erat calibum, quod qui postea depuo scripserunt, ita mutarunt ut variae lectiones extiterint: celitum, caelitum, quae sane non multum distant a calibum; telitum, ortum ex celitum, permutatis literis c et t, quae simillimae apparent in codicibus manu scriptis; telorum, unde coelorum et scelerum, mere corruptum. Profectum esse a Catulli manu: Chalybum, nullus equidem dubito, neque dubitarunt Silligius atque Lachmannus. Num fortasse erravit scholiastes Apollonii, cui restituendum putabat Withofius *Tελχίνων*? Sed hoc non solum ad probandum difficillimum, sed quam maxime etiam Withofii ingenii lusibns hoc loco paulo negligentius indulgentis coniectura reprehendenda est. Scripsisse Callimachum *Xαλύβων* Naekius quoque statuit, qui in ea, quam ab „Solemnia Natalitia Regis augustiss. et potentiss. ab Univ. Frid. Wilhelm. Rhen. celebranda“ edidit, de Callimachi Hecale dissertatione (Bonnae 1829) digna illa viri ingenio et doctrina, pag. 14. attulit Callimachea, de eo tamen, ut videtur, non satis certus, probaretne haec: *Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος*, an praferendum esset, quod Valckenario placebat: *ὦ Ζεῦ, πᾶν Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος*.

Priorem versus restituendi rationem debemus Mureto, cuius vestigiis institut Scaliger; proprius ad scholiastae fragmentum accedunt, quae scripsit Valckenarius, neque aliam ullam video causam, cur ordinem vocabulorum invertamus. Nostrum locum qui commemorat, Huschkus ad Tibull. I. 10. 49. coll. IV. 1. 64. sic exceperisse sese Catulli verba docet: „Juppiter, ut pereat omne genus Chalybum!“ respiciens Horat. Serm. II. 1. 42: „o pater et rex Juppiter ut pereat positum robigine telum.“ Cognitum habebant huncce Horatii versum Santenius atque Valckenarius, neque tamen ad eius exemplum Catullianum scribendum esse censebant. De forma genitivi *on*, ad populorum nomina librorumque titulos revocanda, cfr. Schneideri Gr. Lat. t. I. p. 2. pag. 310, ubi Catullianum Chalybon annotatur. Non multum lucramur Huschkii coniectura, cum existimari debeat Catullus produxisse caesurae causa syllabam ultimam vocabuli pereat, quod non minus singulare est, quam admissus in verbis Chalybum omne hiatus. Hoc bene intellexit Schneiderus, qui in scriptura Chalybon unice acquievit, neque affert nostrum locum, ubi de hiatu post literam in statuendo disputat. Cfr. t. I. p. 1. pag. 155 seqq. coll. 160. videmus vocabulum, quod gravissimam sententiae notionem exprimat: *Xαλιβων*. Accedit codicium atque editionum veterum auctoritas, neque sper-

nendus ille a scholiasta traditus verborum ordo, in quibus primum obtinent Χάλνβες locum. De altero versu quod addam non habeo; id quidem rectissime observatum est a Mureto, restituendum esse Callimachο γειόθεν, quod male mutaverat in τηλόθεν Politianus. Quid Catullus? Ecce iterum ad partes nobis vocandus hic, qui longius a Graecis recedens pluribus verbis expressit Callimachea, prorsus omissis vocibus πακὸν φυτὸν, eleganter a poeta Graeco additis. Pronomen μιν revocandum puto ad vocem σιδῆρος, quae haud dubie praecessit in Callimacheis, praesertim cum a scho- liasta σιδῆρου mentio fiat: οἱ sc. Χάλνβες, μέταλλα σιδῆρου εὑρόντες μοχθοῦσι περὶ ἐργασίāν, — neque χαλκοῦ, sed σιδῆρου ἔργα δεδαικότας dicat Dionysius I. 1. Caeterum promiscue a scriptoribus posteriorum temporum Graecis vocabula σιδῆρος et χαλκός usurpari, notum est.

De versibus 51 — 60. afferre liceat Muretum, quanta hic locus difficultate prematur, optime docentem. „Depravatum esse locum hunc, nemo non videt. Cum autem et veteres libri nihil opis afferant et conjectura omnis periculosa sit, parce omnino hos versus et timide attīngam. Extarent Graeca Callimachi, facilia omnia et expedita essent. At hoc optare est! (Frusta ad hunc usque diem optarimus.) Quantum igitur in tantis tenebris videre possum, hic sensus est. Comae sorores,

eae nempe, quae in reginae capite remanserant, lugebant mea fata, quae paulo ante a suo consortio abiuncta essem: cum ales equus Chloridos, quae Zephyri uxor est, — de hoc autem equo nihil alibi reperire potui, — obtulit se mihi, Arsinoae: — id nomen urbis est, quam Ptolemaeus Philadelphus a se conditam, sororis nomine insignierat, — idque, Memnonis Aethiopis unigena, id est, Aurora, quae unum Memnonem ex Tithono genuit, impellente aëra natantibus pennis, — ita enim hoc postremum in veteribus nonnullis legitur, — id est, ex oriente. Haec attuli, (sic pergit vir eruditissimus), quia, ut verum fatear, nihil aptius excogitare potui, non quod ipsi mihi magnopere satisfaciant.“

Hanc Mureti explicationem ferri non posse, multi quidem Catulli interpretes bene intellexerunt, ipsi quod proponerent argumentis comprobatum, non habuerunt. Ac ne Statius quidem et I. Scaliger feliciter locum tractasse videntur, quorum sententias docte refellit Valckenarius pag. 162. 163., quod v. 57. Zephyrus et coniux et servus Zephyritidis appellatur. Hoc profecto inauditum est, quanquam mirum non esse statuat Doeringius, famuli partes apud Chloridem agere Zephyrum. Optime intellexit Valckenarius, perperam scriptum esse in Catulli libris *Chloridos*, auxilium igitur petendum esse a Bentleio existimavit, a quo sic affirmatam dicit scripturam *Locridos*, ut omnem ille

dubitacionem sustulerit. Cfr. Bentl. not. ad Eleg. Catull. Callimach. l. l. pag. 585. Haec praeclara Bentleii emendatio post Silligium a Lachmanno quoque recepta est. Quaeritur, unde suam iam accipiat lucem ales ille equus, quem mire torserunt interpretationibus Catulli editiones. Exstitit, quem desiderari dicit Muretus, Oedipus inter Italos, cuius de versibus his Catullianis (scriptum) libellum supra commemoravimus accuratius. Est autem Vincenzo Monti ingenii pariter acumine atque doctrinae copia insignis, poeta clarissimus, cui praeter tragoealias aliquot debetur carmen in Italia notissimum: „Bardo della selva pera“ Montius, expositis loci Catulliani difficultatibus, ipse quod statuat, explicat. Affert scilicet Pausaniae locum, unde luculente intelligitur, Arsinoën in Musarum templo struthioni insidentem fictam fuisse. Cfr. Paus. l. IX. c. 31. init. pag. 771. edit. Kühn. t. IV. pag. 3. edit. Siebelis, ubi leguntur haec: *Kαὶ Ἀρσινόης ἐστὶν ἐν Ἐλικῶνι εἰκών, ἣν Πτολεμαῖος ἔγημεν ἀδελφὸς ὅν· Τὴν δὲ Ἀρσινόην στρουθὸς χαλκῆ τῶν ἀπτήνων πτερῷ μέν γε καὶ αὗται ε. q. s.* Siebelis perperam scripsisse (ad h. l. pag. 100.) observat Montium, ex Pausaniae loco Catulli Arsinoës alitem equum explicandum et struthiocamelum esse; cur perperam, non dicit. Ales igitur equus, quem commemorat Catullus, est struthiocamelus, quem et vehendo et oneribus

ferendis inserviisse docet Montius, ut iure equi nomen acceperit. Jam cohaerent omnia. Arsinoë, cum in dearum numerum adscriberetur, avem etiam secum in coelum sustulisse cogitanda est, quam nunc emittit, Berenices comam quae abducat. Obtulit sese struthiocamelus comaein eo Alexandriae templo, ubi crinem dedicaverat Regina, illamque per aetherias auras ferens volavit, ut in Veneris gremio collocaret, dominae scilicet, quae Veneris Zephyritidis nominè colebatur. Altera erat Aegyptiis Arsinoë Venus, ut huiusce deae naturam nominaque indueret; quod nisi tenuerimus, vix intelligemus epigramma Callimacheum, quo describitur piscis ad Arsinoën missus. Cfr. Callim. Epigr. V. 1. edit. Ernest.

*Κόγχος ἐγώ, Ζεφυροῦτι, παλαιτερος ἀλλὰ σὺ νῦν με,  
Κύπροι, Σεληναῖς ἄνθεμα πρῶτον, ἔχεις ε. q. s.*

Reliquum est, ut explicetur, qua ex causa struthiocamelus Memnonis dicatur unigena sive frater. Cfr. Ovid. Metamorph. I. XIII. 576. Aelian. de N. Animal. V. 1. Strab. I. XIII. pag. 587. Paus. X. 31. Avium numero, quae Nemnonides nominatae sunt, adscribendum esse putat Montius struthionem, quippe qui Aethiopiae proprius ibique notissimus iure prope suo nomen illud acceperit. Huic accedit, quod acute vidit Italus, struthiocamelum eodem a scriptoribus Graecis vocabulo, *στρουθός*, atque passerem significari

solutum esse, quod cum bene scirent Aegyptii, uti  
 Venus in deliciis habebat passerem, sic Arsinoe stru-  
 thionem sive struthiocamelum sacrum esse voluerunt.  
 Cfr. Wesseling. ad Herod. IV. 175. Schneider. ad  
 Xenoph. Anab. I. 5. 2. Sapph. Frigm. I. 10. pag. 18.  
 edit. Neue: — *καλοὶ δέ σ' ἀγον ωκέες στρουθόι* e. q. s.  
 Haec eruditus Montius, quibus unum alterumve adiici-  
 endum putavi, quo melius, quid voluerit ille, perspi-  
 ciatur: unum tantum non satis accurate tractare vi-  
 detur Italus, quantum equidem ex iis, quae communi-  
 cavit Schlegelius l. l. intelligere potui. Arsinoen sci-  
 licet docet Montius cultam fuisse Veneris Zephyritidis  
 nomine *Locris* in Pentapolit Africao, unde Locridis  
 cognomen traxerit. Hoc me non perspicere, palam  
 confiteor, cum nullam habeam urbis notitiam, quae  
 Locrorum nomine nota et in Pentapolit Africae sita  
 fuerit. Cfr. Ptolem. pag. 101. Plin. V. 5. Sive ar-  
 gumentis comprobavit sententiam scriptor, quae Schle-  
 gelius, cui id unice propositum esset, ut summam bre-  
 viter libelli describeret, non attulit, sive paulo anda-  
 cius atque negligentius, fuisse in Africa Locrorum ur-  
 bem, statuit: vehementer dubito, an persuadeat no-  
 bis, cum ipse Bentleius l. l., accuratius de Locridis  
 cognomine cogitans, ad Servii Virgilique testimonia  
 (Aeneid. l. XI. 265.) recurrerit, quod, nisi egregie fallor,  
 si meliores afferre testes liceret, non fecisset. At ne

Bentleius quidem, exstisset in Africæ Pentapolii L o c r o s urbem, sed fuisse in illa regione Locrorum gentem, probavit.

v. 59.

Scilicet in vario ne solum lumine coeli —

Haec est Silligii scriptura, a qua recedit Lachmannus ita, ut pro limite ediderit, quod mihi quoque praeferendum videtur: lumine. Diximus de hoc verbo supra ad v. 7. — V. 63. scripsierunt Silligius atque Lachmannus: Uvidulum a fluctu. Evidem comae a vertice Reginae invito cedentis affectibus melius convenire censeo significationem vocabuli fletu, quod tuerit Censor edit. Doeringii, comparans Graeca: καταβεβρεγμένος δυκρύνοις. Addere poterat δυκρύζεος, propius ad Callimachea acedens. Legendum praeterea: uvidulam, revocandum ad pronomen m e i. e. comam, statuit iam Muretus, quocum conspirat Palladius Fuscus, alii. Non accurate tractasse videtur hunc versum Silligius, qui scripturam „uividulum a fluctu“ explicari atque defendi putat v. 70: „Luce autem canae-Tethyi restituor.“ Sed eo temporis momento, cum poneretur coma tamquam novum sidus in coelo, non iam fluctibus madebat crinis, neque apta est hoc loco sideris descriptio, quam v. 70. haud dubie inesse voluit Catullus.

Callisto iuncta Lycaoniae.

Vetustissimis iam Catulli codicibus hunc versum corruptum quodammodo fuisse, scripturae varietas docet; genuinam vix et ne vix quidem in libros reducemus. Praferendam puto lectionem *iuncta*, quae editionum veterum auctoritate probata bonum sensum praebet. Iuxta, quod edidit Lachmannus e Santenii codicibus, non minus placeret, si metri rationibus responderet. Catullum non crediderim hoc sibi concessum putasse, ut ultimam vocabuli *iuxta* corriperet. Lycaoniae proprius ad Santenii codicum scripturam Lycaonia accedit, neque ipsum nomen scriptoribus Latinis alienum, cum apud Ovidium legatur: „Lycaonia Arctos“ i. e. Callistus sidus; conjecturam igitur Lycaonidi nescio a cuius manu profectam, non fuit, cur recipere Valckenarius, quem secuti sunt alii.

Lux autem canae Tethyi restituit.

Verum vidit Achilles Statius, nisi quod perperam scripsisse videtur: *restituat*, quod emendavit nuperime Lachmannus, et iam prius a me in indicativi formam *restituit* mutatum. Silligius, quem cfr. ad h. v., quam ob causam coniunctivum probet, nescio; fortasse codicis Dresd. in quo: *restituat*, auctoritate fretus. Nostram scripturam probare videtur egregie

editio Veneta, in qua verba Lux — restitue inventiuntur, cuius lectionis ne vestigium quidem in iis deprehenderis, quae libri alii servarunt: Luce — restituor. — Iam accedamus ad versus difficillimos, quos alii aliter interpretati sunt. Ex sede coelesti non tantam laetitiam se capere dicit coma, quantum ex eo dolorem, quod a dominae vertice abesse debeat.

## v. 77.

Quicum ego, dum virgo quandam fuit omnibus expers,  
Unguentorum una millia multa bibi.

Egit de his versibus copiose Valckenarius, codicem atque virorum doctorum scripturas accurate enumera-  
rans pag. 187 — 193; ipse tamquam genuinam in textum recepit, quod recte displicuit Orellio: „omni-  
bus expleta Unguentis, myrrae millia multa bibi.“ Fussius l. l., ne litera quidem scripturae vulgatae mu-  
tata, verba omnibus expers unguentis ad comam, in coelo positam, revocari iubet, ut hic sit ver-  
suum sensus: nunc ego omnibus unguentis careo,  
quae prius in Berenices, nondum nuptae, vertice cum  
hac una multa millia unguentorum bibi. Acutam no-  
bis proposuisse Fussium explicationem, facile concesseris,  
neque an unice vera sit dubitarem, nisi persuasum  
mihi haberem, vocabulum nunc, quo quidem summi  
momenti notio continetur, non omittere debuisse Ca-  
tullum, praesertim cum ad describendam prioris temporis

conditionem felicem addiderit poëta vocem quondam.  
Lachmannus ingeniose quidem v. 78. inseruit literam  
i et hoc modo coniunxit loci verba:

Quicum ego, dum virgo quondam fuit omnibus  
expers,

Unguenti si una millia multa bibi,

Nunc e. q. s.

Sed melius post bibi sententia, quae causam, cur dis-  
erucietur crinis, copiosius explicat, concluditur, et  
novam prorsus proponit coma v. 80. Probamus Silligii  
observationem, e Vossianis libris restituendum esse  
locum annotantis, neque invenire facile poterimus, quod  
scripturæ unguentorum opponi possit. Hoc autem  
non bene scripsisse videtur Silligius, iusto obscurius a  
Catullo fortasse conversa Callimachea esse, quibus Be-  
renicen tranquille vitam, nulla re turbatam, egisse  
expressum fuerit. Omnibus expertem dicit poëta vir-  
ginem propterea quod, cum innupta esset Berenice, de  
iis rebus non cogitabat, quae, ut effugiat laetus iuve-  
nilis aetatis animus, efficiunt dirumque curarum chorum  
adducunt. Huc pertinet, ut unum tantum afferam,  
mariti discidium eiusque flagrantissimum desiderium,  
quo mire tenebatur Regina. Hinc intelligitur, Mure-  
tum non accurate vocabulum expers explicuisse,  
qui virginem intactam eo significari voluit.

Nunc vos optato quas iunxit lumine taeda,

Non post unanimis corpora coniugibus

Tradite, nudantes reiecta veste papillas,

Quam iucunda mihi munera libet onyx.

Hoc modo scriptos servarunt nobis versus teste Achille Statio omnes codices atque editiones antiquissimae (cfr. supra edit. Venet.), in quibus cum maxime offenderet vocula *post*, emendavit locum Palladius Fuscus, cui, quod legitur. V. 82., quam postulare videbatur particulam *prius*; secuti eum sunt Ayantius, Muretus, Doeringius, Valckenarius. Non male sic locum expressum esse, si scripsisset ita poeta, censem Fussius, qui levissima mutatione quin pro quae sive quam id haberi existimat, in quo nihil, sive rem, sive dictionem respicias, offendat; de *post* pro *in posterum* confert Catull. c. LXIV. 323: „carmine, perfidiae quod *post* nulla arguet aetas.“ In eandem conjecturam incidit Lachmannus. Aptum ex hac scriptura sensum proficisci, haud dubie concedendum: coma nuptas precatur, ut in posterum coniugibus se non tradant, quin onyx sibi munera libet. Multo felicius atque faciliori manu sic restitutum esse puto Catullum, quam Palladii Fusci audaci profecto codicum scripturae mutatione, qua prorsus reiecta illud iam quaerendum esse statuo, num defendi possit locus, quomodo

a Silligio expressus, sed non satis rationibus comprobatus est. Concedes enim, non pro ne, quod exemplo Terentiano firmatur (non visas) positum, neque accurate scripsisse Catullum libet, quo rectius edidisset omnino libaverit, omnino tamen omittere non debebat poeta particulam prius, quod cum bene perspiceret Valckenarius, hoc ipsum vocabulum in tex-  
tum recepit. Neque profecto inveniemus facile exemplum, quo, subaudiendam esse ante quam voculam prius intelligatur, nisi fortasse haec ita Catullus scrip-  
sisse censendus est, ut, quod praecedere debebat,  
prius, cum ipso vocabulo quam coniunctum cogi-  
taret, unde vocis priusquam notio exstitit, plane  
respondens Graecorum πρὶν ή̄ sive πρὶν ή̄. Cum autem  
ad v. 82. pervenisset poeta, ac si positum esset  
prius, orationem continuans unice edidit: quam.  
Sed ne hoc quidem explicandi periculum probandum  
esse, ipse prae omnibus sentio. \*)

\*) Neque sufficient, quae observavit de omissa par-  
ticula prius ante vocem quam Franc. Sanctius  
— Minerv. lib. IV. pag. 523. edit. Franeq. 1687 —,  
loci enim ab eo allati ita nunc emendati in libris  
nostris leguntur, ut nihil inde colligi possit. Cfr.  
Terent. Eunuch. IV. 7. 19. Plaut. Amphitr. II. 2.  
34 et ad h. l. Parei not. Trinumm. II. 4. 7 — 8.  
ibiq. Goeller. — Qui commemorat hunc Plauti  
versum Charisius, pag. 64. edit. Putsch., legit.  
quasi.

v. 87. 88.

Sic magis, o nuptae, semper concordia vestras  
 Semper amor sedes incolet assiduus,

Valckenarii haec monumentorum fide probata scrip-  
 tura p<sup>r</sup>ae omnibus placet, propterea quod comae  
 iucunda sibi onychis unguenta optanti causamque, qua  
 impellantur nuptae, ut petita p<sup>r</sup>aebeant munera, ad-  
 denti bene convenit. Hoc igitur dicit crinis: cum  
 mihi dederitis unguenta, (tum, sic) magis semper amor  
 et concordia inter vos versabuntur. Sic explicati ver-  
 sus bene se habent, quos aliter intellectos non video  
 cur scripserit poeta. Iam ad Venerem Berenicen con-  
 vertens se coma id precatur vehementissime, ut non  
 inanibus vocibus, sed largis muneribus afficiat Vene-  
 rem, quo facilius in caput Reginae redire liceat. Hunc  
 fere sensum v. 89 — 92. inesse statuit Muretus, quem  
 longe plurimi interpretes secuti sunt. Videamus singula.

v. 89 — 94.

Tu vero regina, tuens cum sidera Divam  
 Placabis festis luminibus Venerem,  
 Unguinis expertem non siveris esse tui me,  
 Sed potius largis affice muneribus.  
 Sidera cur retinent? utinam coma regia fiam:  
 Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion!

Bentleius cum, probata Scaligeri emendatione si-  
 veris et versu sequenti affice, mirum in voeabulo

sanguinis vitium detexisse sibi visus esset, revocari id unice iubet, quod coma exoptare pro natura sua debeat: unguinis, summopere laudatum a Valckenario et Orellio et nuperime editum a Lachmanno, qui, recte servata docta Catulli scriptura non (cfr. v. 80.), Scaligeri formam siveris contractum in siris exhibet, nulla fortasse alia causa adductus, quam quod exquisitius siris et poetae nostro magis proprium sit. Cfr. Valcken. ad carm. v. 30. Sic Lachmannus. Sed metri ratio, quantum mihi quidem constat, repugnat Lachmanni scripturae. Silligius, secutus Doerinium, praeeunte Mureto, verba Sanguinis expertem ad Venerem traxit et hunc statuit versuum esse sensum: „Quum Venerem sanguinis expertem placabis, me tuam effice (i. e. in caput tuum reduc) non verbis (scriptura haec est cod. Comelin. et edit. princ.) sed muneribus.“ Sed, quaeso, cur commemorat hoc loco poeta Venerem sanguinis expertem, quae, sive sanguine ipsi litatur, sive aliasmodi sacrificiis colitur nihil ad comam pertinet? Paphiam produxit Venerem Muretus, cuius aram sanguine maculari nefas fuisse observat, qui quomodo intellexisse illa videri sibi potuerit, non facile ognoveris. Accedere videtur illud, quod nimis a latinorum scriptorum usu aberrantem scripsisse Catullum voluerunt: „non — esse me tuam effice,“ quod quidem exemplis vix comprobari poterit.

Haec omnia praeclara removentur Bentleii coniectura, qui vellem pro tuam scripsisset tui, quo recepto simplicior existere videtur verborum sensus. Iam bene conspirant omnia neque quidquam obscuritatis loco inesse video: cum tu, Berenice, Venerem festis luminibus (cfr. interp. ad Callim. h. in D. v. 182.) placabis, ne siveris me esse unguinis tui expertem, sed potius largis me afficias muneribus. De ultimis carminis versibus quod adiiciam post doctum Valckenarii disputationem, non habeo. Lachmannus apte quidem coniecit: corruerint utinam, sed non satis gravis adesse videtur causa, cur Vaticani codicis scriptura negligatur. „Sidera cur retinent“ idem significat, quod: utinam e siderum corona discedere liceat comaque regia siam! Quod cum concessum fuerit, coeli perturbetur ordo et quae nunc quidem sunt remotissima, Hydrochoi et Orionis sidera iam sibi vicina fulgeant. Sed reliquum est, ut Fussii ad hunc locum observationis summam breviter exponamus. Retinendam esse censem Fussius v. 91: scripturam codicum vestris; v. 93: effice; v. 93: iterent, denique pro fulgeret extare annotat in codicibus aliquot: fulgeat, quod mutavit in: fulgor et, ut iam modo correcti versus sic sese habeant:

„Tu vero, regina, tuens quum sidera divam 89.

Placabis festis luminibus Venerem!

Unguinis expertem non vestris esse tuam me,

Sed potius largis effice muneribus,

Sidera cur iterent: utinam coma regia siam!

Proximus Hydrochoi fulgor et Oarion.“

Vv. 91 et 92. hunc sensum docet Fussius: „vestris unguinis muneribus me tuam non effice expertem esse, sed potius largis muneribus effice, etc.“ Iterare dictum esse monet pro dictitare, cur autem vel quare Graecorum more (cfr. οὐνεκα, ἀνθ' ὁν) pro ut, quod Horatii loco Serm. I. 9. 53.: accendis, quare cupiam magis et Broukhusii epigr. I. 10. verbis: gramina cur iterent — probatur. Tum pergit Fussius: „Enimvero, quid potius optet coma, quam ut caetera sidera, ea nempe, quorum conditio beatissima videatur, Hydrochoi proximus fulgor (i. e. sidus) capricornus, et Orion, ille Iovis; hic, Homero teste, (Odyss. ε, 121.) Auroraē dilectus, illius muneribus honorique invidentia iterent i.e. dictitent: utinam coma regia siam.“ Fuerit sane Fussii interpretandi ratio omnino nova et acutissime inventa, multo tamen, quam par est, audacius rem suam egit. Id enim pronuntiare non debebat vir doctus, meram esse vocabulum retinent conjecturam, cum retinent esse in uno Vaticano testatus sit apud Valckenarium Santenius, pag. 200. Sensum vero qualem nobis peperit

Fussius? Comam optare nihil potius aequum esse dicit, quam ut caetera sidera dictitent: utinam coma regia fiam! Mihi rem aliquanto maiorem optare videtur Coma: eam autem rem ex alio quodam carminis loco colligo: quem locum interpretes neglexerunt omnes, etiam Valckenarius, a quo diligenter caeteroquin locos sese invicem explicantes comparatos video. Dixerat scilicet coma v. 75 et 76:

Non his tam laetor rebus, quam me abfore semper,  
Abfore me a dominae vertice discrucior.

Palam igitur profitetur crinis, se non tanti facere siderum consortium, ut non malit in dominae adhuc capite versari. Hac in sententia cum summum votorum fastigium positum sit, quid aptius poeta exeunte carmine optantem facere crinem potuit, quam ut rerum coelestium ordo invertatur, dummodo in Berenices caput redire liceat. Sic igitur Callimachus egregie peroravit, quippe qui redeuntem, unde exorsa erat, comam finxerit, id scilicet summopere atque unice spectantem, ut luculentissime, quali quantoque reginae desiderio teneatur, verbis exprimat. Hic erat summus carminis componendi finis, quem ita haud dubie assecutus poeta est, ut omnium, ad quos pertinere elegiem voluit, pertinet autem ad totam Ptolemaei familiam, in primis Berenices gratiam sibi comparaverit. —

---

## C O R R I G E N D A.

- Pag. 23. v. 13. lege: *αιθοης*.  
— 24. — 4. — *Γαθόσυνος*.  
— 27. — 9. — *μεταμώλια*.  
— 31. — 23. — *πλόκαμος*.  
— 32. — 19. — pag. 12.  
— 33. — 11. — *genuina*.  
— 36. — 25. — *Κόνων*.  
— 47. — 7. — *perv.*  
— 13. — *ἀρτιζυγίαν*.  
— 50. — 17. dele: vel.  
— 54. — 18. lege: hic.  
— — 20. — *iuro*.  
— 58. — 23. pro *in*: *m*.  
— — 25. adde post *Xαλύβων*: com-  
mode in ipso versus initio  
positum esse.  
— 59. — 25. lege: *optavimus*.  
— 61. — 12. — *nera*.  
— 62. — 6. — *comae in*.
- 

Caetera, quae non indicavimus, vitia typographica,  
facile corrigentur.

Caetera,  
fa

com-  
initio

aphica,

# TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007







